



Sammelbd

Quers. Jnl

13. April 18. Beginn.





DISPUTATIO IN ALIQUANTIS

CONFESSIONE

PETRI ET EAM SECTA  
CHRISTI RESORTIONE

ANNO 1672

PER R. H. D. D.

ANDREA KUNZADO S. S. Theol.

Doct. in Phil. Collegii Adolphi

In Electorale studium

Magistri Joh. Th. Kunz

in Phil. Collegio

MOSIAS CHRISTOPHORUS KUNZ

Coll. Philol. Collegii Adolphi

ad eam D. Joh. Th. Kunz

D. N. O. O. O. Anno M. DC. LXXII

WITTEBERG

Th. Michaelis Kunz

anno M. DC. LXXII





Revis quidem & succincta est Petri  
Apostoli Confessio, quam suo & ceterorum  
Discipulorum nomine de Christo  
edidit, sed dignatamen, qua accuratiori  
scrutinio excutiatur & evolvetur. Nam  
ipse Dominus & Salvator noster eam non solum insigni  
elogio divina Revelationis & annexo *κατασκευῆ* Con-  
fessoris ornavit, sed etiam benevolentissimam promissio-  
nem de adificatione Ecclesie super illa Petra, quam  
Petrus confessus erat, nec non collatione clavium, veluti  
premio singulari remuneratus est. Exponit autem non  
tantum ipsa veram Fidem de Christi Personam, digni-  
tate & officio; sed occasionem etiam ei praebeuit, Doctrinam  
de vero Principio Cognitionis & Conversionis,  
de auspicio, Fundamento, Ministerio & potestate  
Ecclesie, adeoque de tota Oeconomia & apparatus salutis  
nostrae, quamvis breviter differendi. Hac autem  
ita comparata sunt, ut sicut ille, qui ea ex verbo DEI  
bene perspecta & explorata habet, Consilium DEI &  
viam salutis recte tenet, cum B. Petro non immerito  
beatus predicari possit: ita qui de uno vel altero seorsum,  
quam res habet, sentit & statuit, eum omnino periculosis-  
sime errare adeoque tandem persuasione sua turpi-  
ter falli ac frustrari necesse sit. Justus enim suam fide  
vivet, sed veram, non quam quisque sibi imaginatur, sed  
qua divina revelationi ac promissioni respondet, eique  
innititur. B. Lutherus judicat totum Symbolum A-

*postolorum his verbis includi: Tu es Christus, Filius  
DEI VIVI. Quod scilicet ille sit Filius DEI Patris omni-  
potentis, Creatoris Cœli & Terræ: Quodq; Domi-  
nus noster Jesus Christus conceptus sit de Spiritu S.  
natus ex Maria virgine, passus pro nobis, quod mo-  
riens resurrexerit, sedeat ad dextram DEI Patris,  
quia Filius Jdex & Dominus omnium: Quod remis-  
sionem peccatorum per Spiritum S. distribuatur ad  
Resurrectionem & vitam æternam. Hæc B. Theander  
Tom. 4. Jen. f. 359. Omnino verò hi articuli coherent  
& alius ex alio sequitur ac propterea illi, qui ἀπολεξεί  
ibi non extant, facile per bonam Consequentiam inde  
deduci possunt. Quò propius autem fundamentum at-  
tingunt, eò accuratius prospiciendum est, ut hujus Loci  
vera sententia rectè apprehendatur & fideliter custo-  
diatur, ne admissio unico errore, fermentum integram  
massam corripiat & totam Fidem deniq; corrumpat ac  
pessundet. Constat autem tum ex corpore Canonico  
distinct. 21. 22. tum ex Disputationibus Papicolarum,  
quomodo illi hunc Locum nequissimè soleant corrup-  
pere & ad evincendum primatum Oecumenicum  
Pontificis Rom. adducere, adeoq; quod in eo de Christo  
Ecclesie capite & fundamento unice dictum est, contra  
ipsum pro Antichristo Romano interpretari. Quin  
etiã ut unum absurdum ex alio consequi solet, potest a-  
tem clavium, quæ pro remittendis & retinendis pecca-  
tis instituta est, ad res Temporales extendunt, atque  
ita Ecclesiam, quæ Regnum Christi spirituale est, quan-  
tum*

tum in ipsis, per abusum horum verborum sacrilego  
ausu in Monarchiam Politicam commutant. Quæ qui-  
dem petulantia jam inde à tempore Reformationis  
Evangelicæ per Virum DEI, Martinum Lutherum,  
& ipsius discipulos ac fideles discipulos Toti Orbi Chri-  
stiano ex S. Literis cum magno piorum Tripudio nec  
sine Regni Papalis detrimento & jactura hæcenus lu-  
culenter exposita fuit. Quia tamen illi amorem Veri-  
tatis recipere noluerunt, in hoc ut salvi fierent; sed  
justo DEI judicio in sensum reprobum dati, novas sub-  
indè artes querunt & strophas excogitant, quib9 Mo-  
narchiam Papalem ex hoc adhuc Loco adstruere & in  
præjudicium ac oppressionem Ecclesie Evangelicæ denuò  
introducere laborant, nobis quoq; pro gloria Christi  
vigilandum & Axioma ipsius adversus Antichristum  
Æmulum & Adversarium ejus pro nostra virili adse-  
rendum nobis & vindicandum est. Quo minus dubi-  
tamus, quin operæ pretium facturi simus, si hanc Peri-  
copam paulò diligentius expendamus & in Theses re-  
ductam Loco Disputationis Inauguralis ad publicam  
eamq; placidam  $\sigma\mu\phi\iota\lambda\omicron\lambda\omicron\gamma\iota\alpha$  proponamus. Constitui-  
mus autem, DEO clementer juvante, Textum in tres  
partes disspescere, acturi I. De Petri Confessione. II.  
De Christi  $\text{Ἐπιχειρημα}$  seu Commendatione. III. De an-  
nexâ ejusdem promissione. Ut autem Institutum hoc  
feliciter succedat, clementer præstet DEUS Pater in  
Christo per gloriam Spiritus Sancti; DEUS Trinu-  
nus benedictus in secula!

CAPUT I.  
De Petri Confessione.

I.

Confessionis  
1. Occasio  
Christi In-  
terrogatio

**H**ic videndum ante omnia *de occasione*, quâ Petrus inductus fuerit ad edendam hanc Confessionem. Constat autem ex contextu, quod Christus proposita Discipulis Quæstione, percontetur, quid tùm alii, tùm ipsi Apostoli de Filio Hominis sentiant. Quærit igitur primum, quid homines promiscuè de se & suâ Persona judicent, & quæ tandem ipsum esse existiment. *Quem me dicunt Homines esse, Filium hominis?* Ubi quod quidam Interpretes monent de particula *θεικη̄* ME & *ωεσδιορισμῶ* Verborum: *Filium hominis*, quasi in omnibus Exemplaribus apud Matthæum non legantur, non est magni momenti. Habentur enim in probatissimis & hodieque extant in Vulgato Codice. Tùm cæteri Evangelistæ Marcus & Lucas *θεικη̄* ME constanter legunt; *ωεσδιορισμῶ* verò reliquorum verborum, quamvis Matthæo proprium in Syriaca taman Metaphrasi reperiri *Konzenius* & alii agnoscunt. Ut taceam totum contextum, imprimis verò Responsiones discipulorum satis ostendere, quod Christus de se ipso quæsierit, putà *de Jesu Nazareno*. Quod autem se vocat *Filium Hominis*, facit respectu suæ humanæ Naturæ & Conditionis, quâ in diebus Carnis suæ, in terris visibiliter conversatus est, *in similitudine hominis constitutus & in figura reperiens ut homo Phil 2.7*. Tacitè verò digitum intendit ad oracula illa Prophetica, in quibus Dominus *Mesias Homo* seu *Filius hominis καὶ ἐξοχῆν* appellatur, *2. Sam. 7. 19. Ps. 8. 5. Dan. 7. 13*. Deus enim cùm fuisset ab æterno, suo tempore humanam Naturam assumpturus & Filius hominis singulari ac præcællenti modo futurus erat *1. Tim. 3. 16*. De hoc igitur quærit, quem ipsum dicant esse? Puta oratione *Personæ & vocationis, DEUM an nudum hominem? Mesiam, aut quem tandem?* Nihil tamen eorum exprimit, ut discipuli eò liberio rem campum haberent, opiniones aliorum explicandi. Hoc enim ipsa verba præ se ferunt, quibus quærit, *τίνα* quem se dicant esse. Sic enim & Johannem

COM-



compellabant Synedrii Hierosolymitani Legati, cum ipsum de sua persona & vocatione rationem reddere juberent: *Tu quis es?* *Job. 1. 19.* Nec aliter vel Discipuli verba Salvatoris acceperunt, vel ipse Christus ea intellecta voluit, quemadmodum ex illorum Responſionibus & hujus ἐπιχειρήσεις videre est.

2. De hoc igitur quid de se sentiat vulgus, *ex discipulis* cognoscere desiderat, quos propterea κατ' ἰδίαν cum solus esset, post peractas preces interrogat, non quasi nesciret, qui abscondita cordium explorata habebat *Job. 2. 25.* sed ut Discipulorum sententiam eliceret eosque plenius informandi occasionem acciperet. Præterquam enim quod fidem de Messia oportebat esse certam, noverat Dominus, quanta per scandalum Crucis Discipulis suis cribratio immineret. Ut igitur eos in verâ fide confirmaret, & adversus scandalum imminens præmuniret, hanc ipsis movebat Quæſtionem. Et omnibus quidem promiscuè eam proponebat, ut hanc causam ad universos pertinere significaret. Ideoque omnes etiam promiscuè & sine personarum designatione respondisse perhibentur, ut quæ dicebantur *ex communi omnium consensu* dicta esse intelligantur. v. 14. Quærit autem sententiam non *Pharisæorum* aut Sadducæorum, utpote quorum judicium paulo Cordatioribus nec immeritò suspectum erat, quod scirent, eos tanquam professoſ hostes, ac æmulos Christi, ex invidia & malevolentia de ipso & operibus ejus judicare; *sed vulgi* seu hominum promiscuè sic dictorum, quos *Lucas cap. 9. 19.* ἐχλῆς seu turbas appellat. Hi enim minus obnoxii erant invidiæ erga Christum & quia Concionibus ac Miraculis ejus frequentius interfuerant & multis beneficiis passim ab eo adfecti erant, honorificentius longè de ipso sentiebant & candidius judicare præsumebantur. Quam in rem *Chrysoſtomus: Populi opinionem*, inquit, *de se querebat*, quoniam etsi dejectior esset; procul tamen ab omni aberat malitiâ, quâ *Pharisæi & Scribæ* vel maximè pervertebantur. Sic ille.

3. De vulgi igitur sententia respondentes discipuli, non idem omnes sentire, sed alios dicunt Eum habere pro *Johanne*, alios pro *Elia*, alios verò pro *Jeremiâ* vel uno de numero reliquorum Prophetarum v. 14. Pro *Johanne* Baptista habuit eum *Herodes*. Hic enim quamvis primum audita vulgi sententia hæſitaret, sicut est

*Luc.*

*Luc. 9. 7.* tandem tamen pro Johanne conclusit, forsan ob Bapti-  
 smum, quem Christum perindè, ut Johannes fecerat, profiteri  
 audierat, nisi quod diceret, nunc in Johanne postquam à mor-  
 tuis surrexisset, virtutes miraculorum sese exercere. *Matth. 1. 42.*  
 significans hoc ante hac in Johanne, donec in vivis esset, obser-  
 vatum non fuisse. An verò præter Herodem, & familiares ejus  
 plures huic opinioni adstipulati fuerint, in sacris expressum non  
 est. Certè plurimi de vulgo noverant, Johannem de Christo  
 testimonium deposuisse, eumque in Jordane baptizasse *Matth. 21.*  
*25. Job. 5. 33.* Facile igitur unum ab altero distingvere noverunt.  
 Fieri tamen potuit, ut, quæ est vulgi credulitas, de simpliciori-  
 bus etiam nonnulli eandem opinionem amplexi fuerint. Alii  
 de *Elia* præsumserunt, quia vaticinium de reditu *Elia* *Malach. 4.*  
*5.* quod de Johanne *Elia* Antitypo & Zelota loquitur *Matth. 11.*  
*14.* de ipso *Elia* Thesbite accipiebant *cap. 17. 10.* quod putarent  
 eum aliquando reducem Judæorum hostes interfectorum esse,  
 quemadmodum *Elias* olim *Baalitas* occiderat. *1. Reg. 18. 40.* Alii  
*Jeremiam* malebant, eò quod audierant, illi olim potestatem  
 factam esse evellendi & plantandi *Jerem. 1. 10.* id quòd sensu spiri-  
 tuali dictum, politico accipiebant de externâ hostium subactio-  
 ne, & novâ Judæorum plantatione. Sed perperam atque præter  
 & contra mentem & scotum Spiritus S. Novissimè putabant eum,  
 si nihil horum esset, unum fore de numero reliquorum Prophe-  
 tarum veterum scilicet, qui olim in populo DEI florissent.  
*Luc. 9. 19.* Quod cur statuerint non video, cum nullam ea de re  
 promissionem habuerint, nisi quod Dominus *Prophetam Mose si-*  
*milem* mittere pollicitus esset. *Deut. 18. 18.* sed hic profus alius,  
 & singularis futurus erat. Verum hæc vanitas mentis humanæ,  
 hi sunt mores hominum, quando relicto & neglecto verbo DEI,  
 rumores sectantur & de Regno DEI ex affectu carnali judicant.  
 Cum igitur opinionem illarum futilitas manifesta esset & Domi-  
 nus eas ipsas suis Discipulis non probari, intelligeret, operæ pre-  
 tium non judicavit, eas ulterius ventilare.

4. Ut autem jam propriam ipsorum sententiam eliciat, repe-  
 tit Quæstionem eamque ipsos discipulos dirigit & ulterius: *At-*  
*ves, inquit, Quem me dicitis esse? v. 15.* ubi per particulam *At,* sen-  
 tentiam

sententiam discipulorum opinionibus vulgi opponit & se meliorem quidem de ipsis mentem præsumere significat, propriam tamen Confessionem exigit, ut quantum præ vulgo profecerint, videat, & si rectè rem teneant, ipsos in agnita veritate confirmet. Et huc ab initio hæc Quæstio directæ erat. Non enim tantoperè cognoscere desiderabat, an vulgi opiniones in numero haberent, sed quid ipsi sentirent, & an veritatem rectè & sufficienter imbibissent.

5. Sic ergò excitatis & provocatis discipulis, nomine omnium surgit *Petrus* & communem ipsorum de Jesu Nazareno sententiam exponit, his verbis comprehensam: *Tu es Christus, Filius Dei viventis. v. 16.* ubi quod *Christum* vocat Nomen dignitatis & officii; Quod *Filium Dei*, divinam personam & naturam ejus exprimit. De personâ primum. Principio igitur *Filium Dei* esse ex Natura & vi Relatorum infert partim Principium, partim modum Originis, partim Terminum. *Principium* est Deus Pater, qui Filium hunc HODIE sive in puncto æternitatis genuit. Undè etiam Nomen Patris est in S.S. Trinitate. *Modus originis* consistit in generatione, qua Deus Pater Filio essentiam suam communicavit & vitam habere dedit in seipso *Joh. 5. 26.* Undè Terminus Generationis est suppositum Filii, qui propterea quod ex substantia Dei Patris genitus est, *Splendor gloria & character Hypostaseos ipsius* appellatur *Ebr. 1. 3.* Ex quo porro distinctio Personarum Patris & Filii & vicissim utriusque *ὁμοουσιᾶ* probatur. Alius enim est Pater tanquam Gignens, alius Filius, tanquam Genitus; Et Gignens tamen atque Genitus sunt ejusdem numero substantiæ. Quamobrem & Filius non solū omnia sua refert ad Patrem & quæ Patris sunt sibi vendicat *Joh. 16. 15.* Verum etiam diserte se & Patrem *ἐν εἰναι* Unum esse pronunciat *Joh. 10. 30.* Et hoc est quod S. Johannes de Patre & Filio & Spiritu S. conjunctim scribit: Hi tres *ἐν εἰναι* unum sunt *1. Joh. 5. 7.* Trinitatem personarum in Essentiæ divinæ unitate contineri, & illam ipsam unam numero essentiam divinam in Tribus personis subsistere, significans.

6. Quomodo verò hoc Prædicatum subiecto seu Filio hominis conveniat, ulterius dispiciendum est. Nam ex Interrogatione Christi & discipulorum Responsione hæc resultat Propositio:

B

*Filius*



*Filius Hominis est Filius Dei viventis.* Quæritur igitur, quâ ratione Deus vel Filius Dei de Christo Homine prædicetur. Expedita verò est Responsio, quod per & propter personalem Unionem & Naturarum inter se *ᾠχιώρησιν*. Nam hic homo reverà personaliter subsistit. Subsistit autem non propria humana, sed divina & λόγος subsistentia. Quia Filius Dei Carnem & sanguinem in unitatem personæ adsumsit. Secus duplex esset Persona & Humana Natura ad integritatem ejusdem Hypostamendi non pertineret. Qualis Persona divisio in Nestorio damnata fuit. Hinc modò Filius hominis, modò Filius Dei salutatur, non quod alia atque alia sit hujus quam illius subsistentia, sed quia Christus tum qua Deus, tum qua homo, eadem Hypostasi subsistit, tanquam unum ὑψάμενον ex duabus Naturis constans. Sicut autem ὁ λόγος assumptam Humanam Naturam Hypostasi sua formaliter subsistere facit: ita eandem cum suâ divinitate intimè in illa Hypostasi univit, ut quam intima illa est ipsa subsistentia tam intima etiam sit ipsa divinitas. Nam subsistentia & λόγος ab ipsius divinitate realiter non differt. Tum hic homo non dicitur præcisè Filius esse, sed sed Filius Dei viventis, ut ipsi non minus divinam Naturam ac subsistentiam & λόγος competere intelligamus. Et hoc est quod Apostolus ait, Totam plenitudinem Deitatis in Christo habitare *σωματικῶς Col. 29.* Id quod in Scholis mutuam *ᾠχιώρησιν* Naturarum in Persona Christi appellare consueverunt, qua Deus revera est Homo & Homo revera est Deus, unus & idem *θεάνθρωπος.*

7. Quod Nomen attinet, Petrus dicit, eum esse CHRISTUM, hac voce Mesiam designans. Quem enim Judæi Mesiam, Græci *χριστὸν* appellabant *Job. 1. 41. & cap. 4. 25.* quæ utraque vox Latinè unctum significat. Habet autem h. l. rationem Nominis proprii, & notat *κυριῶς* Vindicem ac Hyperaspisten Generis humani tum aliis, tum hoc etiam Mesix nomine Patribus olim promissum, quem simul ab unctioe & officio describit. Quod ad *promissionem* attinet, certum est, quod Idem, qui primuni semen Mulieris, semen Abraham, Filius Davidis, Schiloh, servus & salus Domini, desiderium gentium, appellatus fuit; novissimè *משיח* dictus est *Dan. 9. 25. 26.* Notarunt hoc ipsi Thargumistæ,

mistæ, quando Paraphrasi Locorum, in quibus de promisso illo  
 Generis humani vindice sermonem esse animadverterunt, No-  
 men Mesliæ ἐζητήσῃς ἐβενε inseruerunt v. g. *Gen. 49. 10.* Donec  
 veniat Schiloh; Targ. Mesias. Item *Mich. 5. 2.* Ex te egredietur  
 mihi Dominus; Targ. Mesias &c. Hinc N. T. fuit hoc decanta-  
 tissimum Nomen, ut promissus Salvator appellaretur Mesias, sive  
 ex Græco Idioma, Christus. *Matth. 2. 4. cap. 26. 63. Job. 4. 25.*  
 Jam cur hoc nomine insignitus fuerit, dispiciendum est. Puta-  
 runt quidam hæc ὀνομαθεσία esse Metonymicam, qua signum vel  
 Unctio ponatur pro signato vel ordinatione ad officium. Et  
 verum quidem est, quod Christus præordinatus fuerit ab æterno,  
 priusquam Mundus conditus est. *1. Petr. 1. 20.* Verum æterna  
 hæc ordinatio & destinatio Christi Unctio eius, quæ in tem-  
 pore facta est, non est exclusivè opponenda. Utramque factam  
 esse, sacra Scriptura testatur: utraque locum habet; Neutra tollit  
 alteram. Ideoque nos illius potissimum rationem habendam  
 esse statuimus, qua Christus in tempore secundum humanam  
 Naturam oleo latitiæ seu Spiritus S. unctus & communicatione  
 divinorum καυχνημάτων ad officium suum aptatus est *Psal. 45. 8.*  
*Actor. 10. 38.*

8. Quemadmodum autem trium generum homines ad fun-  
 ctiones suas inungi consueverunt, videlicet *Reges*, veluti Saul.  
*1. Sam. 10. 1.* & David. *1. Sam. 16. 13. 2. Sam. 5. 3.* *Sacerdotes* veluti  
 Aron & Filii *Exod. 40. 13. 14.* *Propheta* veluti Elisa *1. Reg. 19. 16.* Sic  
 Christo triplex dignitatis Munus impositum fuit Propheticum,  
 Sacerdotale & Regium. Undè etiam tergemino titulo insignitus  
 commendatur modò ut Rex, *Jer. 23. 5. cap. 32. 15.* modò ut Sacer-  
 dos *Psal. 110. 4. Ebr. 5. 10.* modò ut Propheta *Deut. 18. 18. Job. 6.*  
*14.* Quæ *Propheta*, debebat repurgare Ecclesiam à scoriis corrupte-  
 larum, imprimis verò Evangelium salutis promulgare. *Mal. 3.*  
*3. Job. 4. 25. Jes. 61. 1.* Quæ *Sacerdos* debebat loco victimarum se-  
 ipsum offerre pro peccatis totius Mundi & præsentatione suæ  
 oblationis satisfactoriæ pro nobis apud Deum intercedere *Pf.*  
*40. 7. 9. Matth. 20. 28. Job. 2. 2.* Quæ *Rex* debebat Ecclesiam in  
 ordinem redigere, suo spiritu ac verbo regere, conservare, tueri  
 & ad æternam vitam perducere *Jer. 23. 5.* Quæ cum omnia ad sa-  
 lutem

litem ultimò tendant, inde Christus quasi per compendium *Salus* vel *salutare Dei* *Gen. 49. 18.* *Jes. 49. 6.* itemque *Salvator mundi* appellatus est. *Joh. 4. 42.* Quando igitur Petrus Dominum appellat Christum, perindè est ac si dixisset: Tu es promissus *vindex Generis humani* contriturus caput serpentis: Tu es *Schilo* de Tribu Juda: Tu es *Justum illud Germen Davidis*: Tu es *salus Dei* usque ad fines Terræ: Tu es *desiderium Gentium*: Tu es *Propheta ille magnus*: Tu es *Sacerdos* secundum ordinem Melchisedeck: Tu es *Rex Israël*: Breviter, Tu es *Salvator mundi*. Et hoc etiam de Personâ

### Loci Communes.

1. *Juvat interdum aliorum opiniones de Christo exploratas habere. v. 13.*
2. *Vaticiniorum Prophetarum sinistra interpretatio magnorum errorum causa est. v. 15.*
3. *Quisvis Christianus tenetur veram de Christo confessionem in promptu habere & pro re natâ edere.*
4. *Jesus Nazarenus est verus Deus & unicus ille promissus Messias.*

### QVÆSTIONES.

I.

*An nemo de Vulgo Jesum Nazarenum pro Messia agnoverit?*

**S**i quæstio de frequenti quadam vulgi certa ac constanti sententia accipiatur, negativè respondetur. Nam quo minus illa sententia in animis populi radices ageret, Pharisei, Sacerdotes & scribæ omnibus modis calumniando & interminando impediebant. Jam verò populus pro sua sive simplicitate sive temeritate, quin etiam ex metu proscriptionis sententiam sequebatur suorum Magistrorum. *Joh. 9. 22.* Accedebat scandalum formæ servilis,

servilis, qua Christus in similitudine Carnis peccati constitutus, valde egenus, abjectus & contemptibilis apparebat, ut à promiscuo vulgo non reputaretur. *Jer. 53. 2. seqq.* Præterea decreverat DEUS plenariam Filii sui manifestationem differre & interea ad hanc populi ignorantiam connivere, donec Christus pro peccatis humani generis oblatus & ad dextram Majestatis evectus esset. Nam si Eum cognovissent, haudquaquam Dominum gloria crucifixissent. *1. Cor. 2. 8.* Ideò Christus etiam ipse discipulis suis post editam Confessionem interdixit, ne cui dicerent, quod ipse esset Jesus Christus *Matth. 16. 20.*

Sanè habuerunt Judæi testimonium Johannis: audierunt Christi Conciones & oracula Prophetica, quæ de ipso loquebantur: Viderunt stupenda Miracula, ut ipsi dicerent, Christum quandoque veniret, signa Majora vix editurum esse. *Job. 7. 31.* Nihilominus tamen præ judiciis adversariorum & scandalo Exinanitionis occupati semper hæsitant, donec post adscensionem Domini Evangelium solemniter promulgaretur. *Actor. 2.* Nec obstant Exempla eorum, qui à fide commendantur, & in Christum credidisse perhibentur v.g. Nathaneel *Job. 1. 49.* Centurio, *Matth. 8. 13. Job. 4. 50.* Chananaea *Matth. 15. 28.* Pater Lunatici *Marci 9. 24.* cæcus natus *Job. 9. 38.* Lazari soror *Job. 11. 26.* Publicani *Matth. 21. 32.* Samaritani *Job. 4. 39.* Multi alii ex Vulgo *Job. 2. 23. cap. 7. 31. cap. 8. 30. cap. 11. 45.* De Principibus *Job. 12. 42.* Nam hæc sententia non fuit frequens aut vulgaris aut apud omnes æquè certa & constans, sed apud quosdam saltem privata sententia, apud alios dubia & inconstans opinio; apud nonnullos etiam convictio animi, sed cum morosâ Terigi versatione conjuncta qualis erat quorundam Pharisaorum fides *Job. 12. 42.*

Qv. 2.

*Utrum Petrus pro se solo, an communi nomine pro omnibus responderit?*

Quod Petrus non pro se solo, sed & pro se & communi nomine pro omnibus responderit, manifestum est Nam non solus Petrus, sed omnes discipuli à Domino interrogati erant. Consuevit autem ille aliàs sæpius vel quod ferventior vel quod ætate

B 3

cæteris

cæteris profectior esset, responsionem, quam omnes reddituri erant, occupare & solus exponere, quemadmodum in eadem Causâ fecit *Job. 6. 69.* Ubi hanc Confessionem ut eam ad omnes pertinere, significaret, plurali numero enunciavit, *Nos credidimus & cognovimus, quod Tu es Christus, Filius Dei viventis.* Tum reliqui omnes responsionem Petri tanquam suo nomine editam communi consensu ac silentio tanquam suam comprobarunt, eique nihil additum, aut in ea correctum voluerunt. Denique Christus ipse qui omnes percontatus erat, nisi Responsionem Petri pro communi accepisset, in ea certè acquieturus non fuisset, Quin etiam quod ex Petro, quid universi sentirent, audivisset, omnibus ejusdem rei silentium imposuit, ne cui dicerent, quod ipse esset **JESUS CHRISTUS.** *v. 20.* Quod autem quidam dicunt, Petrum ideò pro omnibus respondisse, quod esset *os & caput Apostolorum,* falsum est, & in consequens. Non enim semper Caput esse necesse est, qui pro aliis responderet, sed prout quisque ferventior vel expeditior est inter pares & familiares, ita alios solet antevertere respondendo. Sic *Laban* Rebecca Frater in actione cum Eleazaro Abrahami legato, ipsum Bethuelem Patrem suum antevertebat *Gen. 24. 50.* Quod autem Petrus reliquorum Apostolorum Caput fuerit, hoc est *μέγα λίαν αἴτημα.*

Qv. 3.

*An rectè dicatur: Hic Homo vel Filius Mariae  
est verus Deus: & qualis ea Prædicatio?*

**S**ubjectum quæstionis est *Hic Homo* seu *Filius Mariae* quod est Concretum Humanæ Naturæ & Abstractum Personæ: Abstractum inquam abstractione non negativa vel exclusiva, sed tantum præcisionis & distinctionis, quæ salva Unione Naturarum personali, locum habere potest. Ubi si quis in subjecto velit Concretum Personæ substituere, v. g. *Christum θεάνθρωπον,* nos cæteris paribus, non repugnabimus. Verum tum Prædicatio Restrictio addenda erit, ut sensus Quæstionis rectè exprimatur & intelligi possit, secundum quam Naturam illud affirmetur vel negetur. Quæritur enim, an Filius Mariæ sit Filius Dei adeoq; *verus Deus secundum humanam Naturam?* Ubi si Concretum Per-

Perlo-



Personæ loco subjecti constituatur, Prædicatum Deitatis ad divinam Naturam referri & ita verus sensus & scopus Quæstionis facile eludi potest. Nam si queras, An Christus sit verus Deus? affirmabunt Reformati: sin addas restrictionem secundum humanam Naturam, Negativè respondebunt. Dicunt enim Christum esse DEUM secundum divinam, & hominem, secundum humanam Naturam. Quod licet suo loco verum sit: reliquum tamen est, ut explicetur, quid Christo qua Homini, competat vigore unionis personalis. Hic igitur nos ad Quæstionem propositam affirmativè respondemus.

Habet autem nostra sententia fundamentum 1. in formula Confessionis, qua Petrus dicebat: *Tu es Christus Filius Dei viventis.* Scilicet, Interrogarat Dominus: Quem me dicunt Homines esse Filium Hominis. Ubi si subjecto, quod in Interrogatione Christi positum, est *Filius Hominis*, prædicatum annexatur, quod in Petri Confessione, est *Filius Dei viventis*, indè hæc emerget integra Propositio: *Filius hominis est Filius Dei viventis.* Quibus verbis esse Filium Dei, disertè de hoc Homine seu Filio Mariæ prædicatur, puta Natura una de altera, sed in Concreto, prout Personalis earum Unio importat. Hinc Theophylactus: *ἐπεὶ μία ἦν ὑπόστασις τῷ ὄντι, υἱὸς ὑψίστης ἦν ὁ ἄνθρωπος, ὁ υἱὸς τῆς παρθένου.* Quoniam una erat Existenti subsistentia, Filius altissimi erat ille Homo, ille Filius Virginis in *Luc. 1.* Cui conformis est & illa Prophetica: *Germen Davidis est Jehovah Jer. 23, 5.* Accedit Mysterium Incarnationis, qua Verbum Caro factum est. *Joh. 1. 14.* & Filius Dei humanam Naturam in Unitatem suæ personæ adsumsit eamque tota suæ Deitatis plenitudine *σωματικῶς* inhabitare dignatus est. *Col. 2. 9.*

Deinde hic Homo revera est Deus seu Dei Filius, quatenus *Adsumpta* in Filio Dei *Humana Natura in divina ipsius persona subsistit*, & per personalem inhabitationem totius plenitudinis deitatis ipsius deificata est. Unde rectè à Patribus Græcis appellatur *λογωθεῖσα θεωθεῖσα.* Non quod ratione substantiæ in Deitatem conversa sit, sed propter personalem adsumptæ Carnis cum adsumente *λέγω* unionem & mutuam Naturarum inter se permeationem, qua facta est, ut verbum vitæ quod ab æterno fuit  
apud

apud Patrem, post incarnationem in carne videri & manibus  
contrectari potuerit. *i. Job. 1. 2.* Secus si prædicata Naturarum tan-  
tùm ad Naturas proprias pertinere dicantur personalis unio elu-  
detur & in nudam *παράστασις* sive adstantiam converteretur. v. g.  
Si dicatur, Hic Homo vel Filius Mariæ est Deus, puta sua deitate.  
Eadem quidem persona statueretur esse Deus & Homo, sed seorsim  
& *ἀκωνωνήτως* ita ut ab una parte sit Deus, ab altera Homo, &  
juxta Nestorii hypotheses, duplex Christus, *Unus Deus λόγος,*  
*Alter Homo Filius Mariæ Virginis.* Eadem verò operâ & Meritum  
Dominicæ Passionis & satisfactionis evacuabitur. Nam si hic  
Homo non est DEUS, quis tandem pro nobis passus, quis cru-  
cifixus est: Quin igitur tunc exclamet Nestorius: *Noli gloriari Ju-  
dæe; non DEUM, sed Hominem crucifixisti.* Sed hoc dogma est  
impium & jamdudum ab Ecclesia explosum. Ideoque tenemus  
nec immeritò Confessionis Petrinæ sententiam: *Filius Hominis  
est Filius Dei viventis.*

Quid in Contrarium hæc de re reformati sentiant & quomodo  
tergiverentur, ex Scriptis & Disputationibus eorum manifestum  
est. Nunc ut veterum dissimilia Judicia silentio prætereamus,  
juvat saltem *Wendelini* sententiam perstringere. Sic verò ille in  
*Theol. l. 1. c. 14. q. 10.* *Querentibus inquit, An Christus, qua ho-  
seu secundum Naturam humanam sit quoque DEI Filius? responde-  
mus: Dicitur quidem certo sensu & modo Dei filius potest Christus, qua  
homo seu secundum Humanam Naturam, quamvis non illo, quo Hære-  
tici volunt. Interim in scriptura respectu Humana Nature Dei Filius  
non dicitur, sed Hominis Filius, Davidis Filius, semen Abrahæ. Filius  
Dei in Scriptura, cum καὶ ἐξοχὴν appellatur, æternus Dei Filius in-  
telligitur, ut & Dei Filius proprius & unigenitus. Hæc ille. Ubi  
fatetur, Christum secundum humanam Naturam Filium dici  
posse; sed excipit, non sensu & modo eo, quo Hæretici velint,  
Nec tamen explicat, quem sensum pro Orthodoxo, quem pro  
Hæretico habeat. Procul dubio verò per sensum suæ sectæ Or-  
thodoxum intelligit *allaolm Swinglianam*, qua Naturam unam  
pro altera poni & unius Nomen alteri in Concreto tribui volunt,  
ut sensus sit: *Hic Homo est DEUS, sua deitate.* Sed ubi manet  
personalis unio & divina Christi secundum adsumtam Carnem  
conditio*

conditio & in Forma Dei existentia? *Phil. 2. 6.* Hoc unum est, quod desideramus. Deinde statuit *Wendelinus*, Christum omninò certo modo ac sensu Filium Dei appellari posse, quamvis ita in S. Literis non appelletur; quaeritur igitur, Undè illi loquendi modus pariter & rei veritas probetur & confirmetur? Posito enim, sed non concessò, quod talis Propositio totidem verbis ac literis concepta in S. Scriptura non occurrat, An propterea quod virtute bonæ Consequentiae ibi continetur, illud in Scripturâ non dici, statuendum est? Hoc alterum est. Tertio scribit, Christum quâ hominem, Filium Dei in Scriptura non dici, sed Filium Hominis, Davidis &c. Quando autem mentio fiat Filii Dei, intelligi æternum Dei Filium eumque proprium & unigenitum. Sed in præcedentibus vidimus, Filium hominis vel Christum secundum humanam Naturam omninò Filium Dei à Petro appellatum fuisse. Cur autem tam anxie distinguat *Wendelinus* inter Filium hominis & Filium Dei, & per hunc æternum proprium & unigenitum Dei Filium intelligi moneat, equidem non adsequor, nisi fortè putat, duos esse Filios, unum Dei, alterum Hominis; unum æternum; alterum Temporalem? sed quid est *νεσσοειριζου*, si hoc non est? Unicus est Dei & Mariæ Virginis Filius, qui manens id, quod ab æterno fuerat, per Incarnationem in tempore factus est, quod non erat, vid. Homo. *Gal. 4. 4.* Quod h. l. disputari solet de Genere Prædicationis, quando dico; *Hic Homo est Deus: Et DEUS est Homo.* Sitne Propositio Synonymica, an Paronymica, Nos salvâ veritate, facillè patimur, quemvis suo sensu abundare. Nobis placet Modestia Veterum, qui Propositiones Personales & id genus alias *Inusitatas* appellarunt. Licet enim alicubi videantur cum Synonymicis, alicubi cum Paronymicis convenire, reverà tamen, sicut *Mysterium* adeoque *inusitatum* Modum essendi de rebus enunciant, ita reverà *Novum* & *inusitatum* Genus prædicandi constituunt. Obiter id observetur, quod Propositiones Personales non sint verbales, quod Reformatis antehac visum fuit. Quod enim de subiecto enunciant, hoc illis reverà inest. Licet non communi & in natura usitato modo. Tum unio Naturarum, in qua illæ fundantur, non est Verbalis, aut Tropica, *συμπαση*, sed realis & personalis, adeo-

C

que

que intima ac *περιχωρητικὴ* seu permeatoria. Quo minus concedendum est, ut in gratiam Reformatorum dicatur *DEUS extrinsecè predicari de Christo Homine*. Est enim Propositio Personalis, in qua tùm homo, tùm *DEUS* non secundum propriam naturalem Conditionem extra unionem; sed pro ratione unionis personalis & in unione considerantur. Ubi cùm Spiritus S. totam plenitudinem deitatis in Christo *σωματικῶς* habitare perhibeat, particula illa *σωματικῶς* quasi indice digito humanam ipsius naturam, & intimæ ac determinatæ personalis in habitationis modum designans: Impium & *ἀθεόλογον* foret, unionem illam intimam per extrinsecæ denominationis admissionem evacuare. Tantum etiam de Personâ.

## Sequitur II. Christi

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ.

Postquam Petrus suam & Discipulorum Confessionem deposuisset, respondens *JESUS* suam de illa iudicium exposuit his verbis: *Beatus es Simon Bar Jona &c.* Quibus per *μακαρισμὸν* Petr i fidem, quam ipse professus erat approbat & tùm ab effectu, tùm à Principio, tùm ab eventu commendat. Ad effectum veræ fidei in Christum pertinet *beatitudo*, qua de Dominus ipsi gratulatur significans, Eum per fidem Christi apud *DEUM* in gratia adeoque in felicissimo statu esse. Perinde ut Apostolus ait, *nihil damnationis esse iis, qui sunt in Christo Jesu Rom. 8. 1.* Fides enim Christi dum in Verbo promissionis satisfactionem Domini pro nobis præstitam fiducialiter amplectitur, & homini credenti singulatim *ληπτικῶς* applicat, & propriam facit, eadem operâ coram *DEO* justificat. *Rom. 3. 24.* Justificati verò per fidem pacem habemus cum *DEO* per Dominum nostrum *Jesum Christum Rom. 5. 1.* Quæ est ipsissima beatitudo spiritualis, scilicet quæ non eibus ac potus; sed *Justitia & pax & læticia est id Spiritu S. Rom. 14. 17.* De Principio Fidei, sequentibus verbis agit, quibus pergit: *Caro & sanguis non revelavit Tibi, sed Pater meus qui est in cælis. v. 17.* Ubi ab initio notat & removet falsum Principium.

*incipium* velut est Caro & sanguis, quâ notione non præcisè substan-  
tiam Carnis & sanguis, sed Hominem animale[m] pro hoc rerum  
statu præcipuè indigitat. Hic enim non nisi terrena intelligit, quæ  
rationi subiecta sunt, nec ea ipsa quidem satis perfectè, aut sine  
errore, quandoquidem valdè corruptus & omnibus viribus de-  
pravatus est, nedum ut supernaturalia, Mystica & spiritalia  
capere & dijudicare possit 1. Cor. 2. 14. Quin etiam subindè  
concupiscit adversus spiritum Gal. 5. 17. & sua prudentia contra  
DEUM ipsum insurgit Rom. 8. 7. Ideoque Christus etiam ne-  
gat hanc Petri fidem & χειρογνωσίαν carni & sanguini accepto  
ferendam esse. Subjicit autem statim *verum principium*, quod  
vocat *Revelationem Patris cælestis*. Fides enim est opus DEI &  
pertinet non ad naturalem hominum propagationem & consti-  
tutionem, sed ad παλιγγενεσίαν sive ad Regenerationem nostri  
adeoque fuit non à naturali hominis arbitrio, sed à viribus su-  
pernaturalibus dependet. *Credimus enim secundum efficaciam  
roboris fortitudinis ipsius, quam DEUS exercuit in Christo, cum  
suscitavit eum ex mortuis, & sedere fecit ad dextram suam in cælestibus  
Ephes. 1. 19.* Ad quem finem & usum nobis datum est verbum &  
sacramentum tanquam salutaria media Conversionis nostræ.  
Quomodo enim credent, de quo non audierunt? Quomodo  
audient absque Prædicante. Ergò Fides ex Auditu est, Auditus  
autem per verbum Dei Rom. 10. 14. 17. Hoc autem Beneficium  
Christus singulariter ad Patrem cælestem refert tanquam ad Pri-  
mum Principium, undè omnia sua acceperat. Sic enim ipse hac  
de re loquitur: Nunc cognoverunt, quod omnia, quæcunque  
dedisti mihi, abs te sunt. Quia verba, quæ dedisti, mihi dedi-  
stis: Et ipsi acceperunt & cognoverunt verè, quod à Te exivi &  
crediderunt, quod Tu me misisti. Job. 17. 7. 8. Ergò hoc non  
debet de Patre exclusivè accipi. Est enim hæc actio ad extra.  
Quapropter alias & Filius revelare perhibetur & Spiritus S. un-  
dè Christus: Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Nemo no-  
vit Filium nisi Pater: neque Patrem quisquam novit, nisi Filius  
& cuicumq; voluerit Filius revelare. Matth. 11. 27. Ad eundem  
modum precatur Apostolus Ephesius, ut Deus Domini nostri Jesu  
Christi Pater gloriæ det ipsius *Spiritum sapientia & revelationis*

per agnitionem sui *Ephes. 1. 17.* Nemo enim potest Christum Dominum dicere, nisi per Spiritum S. *1. Cor. 12. 3.* Veruntamen intuitu originis Christus actum revelationis h. l. rectè Patri cœlesti adscribit. Loquitur autem Dominus consequenter haud obscurè *de gratioso eventu illius*, quod revelatio illa divina locum in Petro invenisset, & salubriter fructificasset. Nam & multi alii idem audierant, & viderant, quod Petrus & cæteri Discipuli: non tamen receperunt Christum, sed magis exacerbati sunt adversus ipsum *Job. 11. 47.* Petrus autem postquam à Christo vocatus Christum docentem audivit, & opera ejus vidit, non repulit nec frustrà accepit primam gratiam; sed Spiritum S. passus est in Corde suo operari, donec incrementum fecit in fide & confirmatus fuit. Scilicet, in sua venit Dominus, at sui ipsum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, eis dedit *ἐξουσίαν* *τὴν αὐτῆς γενέσθαι* iis scilicet, qui crediderunt in Nomen ipsius *Job. 1. 12.*

### Loci communes.

1. *Corde creditur ad Justitiam: Ore fit Confessio ad salutem Rom. 10. 10.*
2. *In rebus fidei non est consultandum cum carne & sanguine Gal. 1. 16.*
3. *Non sumus idonei ex nobis & c. sed ἰναὐτῆς ἡμῶν ἐστὶν ex DEO 2. Cor. 3. 5.*
4. *Omnia bona donatio, & omne perfectum bonum est à Patre Luminum. Jacob. 1. 17.*

### QUÆSTIONES.

I.

*An Fides à Ratione accendatur, juvetur & promoveatur?*

**Q**uod *Keckermannus* antehac de efficacia Philosophiæ pietatem & cultum DEI excitandi scripsit, à Nostris passim notatum

tatum est, ut Contribules ejus errorem facile agnoscere & emendare potuerint. Succesit tamen in vicem *Vedelius*, & cum debuisset nobis pro commonefactione gratias agere, non tantum errorem veterem defendit, sed nobis etiam novam culpam imputavit, quasi per Rationis exaustrationem ex Theologia usum Consequentiarum sustulerimus, & Jesuitis occasionem præbuerimus in Controversis Theologicis vim Consequentiaæ repudiandi & puram scripturam quoad expressa verba postulandi. Sed præterquam quod nobis injuriam facit commemoratus Autor, errorem etiam errore cumulavit & *virtutem intellectus Formalem & Naturalem*, perinde ut *Axiomata realia & Instrumentalia* turpiter inter se confundit, quemadmodum jamdudum à Nostris ipsi & Hyperaspistæ ipsius Massonio, spermologo celeberrimo, remonstratum fuit. Veruntamen inveteratus error tenaciter hæret; hodieque statuunt *Reformati*, Philosophiam esse Medium gentiles ad fidem aliquo modo præparandi; Item Religionem Christianam & doctrinam salutis quam tradit Theologia & discit homo, necessariò conjunctam habere Rationem humanam. Quæ *Wendelini* sunt *Axiomata Theol. proleg. cap. i.* Ut igitur Mysteriorum cælestium sinceritas & Revelationis divinæ dignitas adferatur, juvat semper ob oculos habere certa quædam fundamenta, quibus demonstratur, Fidem salvificam à Ratione non accendi, juvari aut promoveri. Potest autem illud probari primum à *Mysteriorum fidei sublimitate*. Illa namque Naturam & Rationem excedunt & transcendunt, sicut scriptum est: *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus DEI. Stultitia siquidem ei sunt, nec potest cognoscere, quia spiritualiter judicantur. i. Cor. 2. 14.* Quicquid autem cognitionem & vires Naturæ transcendit, illud à Ratione non potest accendi, juvari & promoveri. Nihil enim agit ultra suas vires. Tum sicut principia cognitionis oportet esse *ἀκέραια* sic vires efficiendi necesse est, ut proportionem effectui respondeant. Ideò Apostolus hl. l. scribit *τὰ πνευματικὰ πνευματικῶς ἀνακρίνεσθαι*. Similiter Christus ipse contradistinguit *τὰ ἐπίγεια καὶ ἐπὶ οὐρανα*, Terrena & cælestia *Joh. 3. 12.* Quæ cum Totis districtibus distent Ratio, cui tantum Terrena subiecta sunt, in superioribus nihil præstare poterit.

*Excipiunt* quidam Distingv. inter *Rationem cæcam* seu non re-  
genitam & inter *illuminatam*; Et Majorem valere dicunt de Ra-  
tione nondum renata: fallere de Renatâ, siquidem Homo spi-  
ritualis dicatur omnia per Spiritum dijudicare, certè non sine  
ratione; sed cum ratione per Spiritum illuminata. Verùm  
Quæstio concepta est de Ratione humana in abstracto, quatenus  
verbo Dei seu Principio divinæ Revelationis contradistingvitur,  
& in proprio suo Hemisphærio continetur. Æstimanda est igitur  
ex viribus propriis post lapsum residuis. Quod autem ut  
*Renata* potest, hoc non habet ex se; sed à Spiritu Sancto. Ad-  
hæc Controversiæ status conceptus est de *accensione Fidei & Con-*  
*versione* hominis. Ubi cum Ratio nondum Renata, sed adhuc  
regeneranda sit, nullus usus est datæ Distinctionis. Nam non-  
dum renata se ad accensionem fidei pure pte passivè habet ac  
propterea ad illud opus minus quàm nihil præstare potest.  
Deinde Fides in solidum pendet à divina revelatione & à gratiâ  
Regenerationis, quæ fit per verbum DEI *1. Pet. 1. 23.* quod est  
Principium cognitionis & operationis adeoque non solum intel-  
lectum illuminat, sed voluntatem etiam corrigit & novis viribus  
spiritualibus instruit, ut capere & amplecti ea incipiamus, quæ  
Naturam & Rationem superant. *1. Cor. 2. 14.* Ideò Christus h. l.  
postquam sui cognitionem Carnis & sanguis potestati detrahis-  
set, eam è contrario revelationi Patris cœlestis acceptam fert &  
adscribit. Quicquid autem Carni ita detrahitur, ut in solidum  
Revelationi Patris cœlestis vendicetur, illud nullo modo accen-  
ditur, juvatur aut promovetur à Ratione humanâ. *Accedit*  
huoc, quod *Ratio humana post lapsum tota corrupta & excacata est*  
*Ephes. 4. 18.* & tam procax, ut non solum non capiat, sed etiam  
oppugnet & pro stultitia habeat ea, quæ sunt Spiritus DEI; Nam  
*prudentia carnis inimicitia est adversus DEUM. Rom. 8. 7.* Licet  
enim in Conversis Renata sit: tamen quia in hoc ipso Renascen-  
tiæ statu Nos adhuc venundati sumus sub peccatum quoad illius  
inherentiam & motus involuntarios. *Rom. 7. 14. seqq.* non ces-  
sat Caro in Renatis etiam subindè concupiscere adversus Spiri-  
tum; tantum abest, ut Fidem juvat aut promoveat. *Galat. 5. 17.*  
*B. Lutherus* h. l. contra Papiculas etiam disputat de *impotentia*  
Liberi



*Liberi Arbitrii*, quod illi per gratiam prævenientem liberatum, & suscitatur Spiritui S. ad conversionem hominis cooperari volunt. Verum Dominus hic docet, inquit B. Theander, *hæc omnia nihil esse, quæ Caro & sanguis est & potest. Siquidem Christum cognoscere nemo potest, multo minus sequi Carnis & sanguis doctu, sed ut Pater, qui in cælis est, revelet oportet, id quod hic Divo Petro accidit. Tom. 1. Jen. Serm. Lips. p. 293.* Rectè. Quod enim Christus revelationi divinæ adscribit, carni & sanguini disertè abjudicat. Caro verò & sanguis, ut vidimus, complectuntur totam præstantiam hominis animalis cum omnibus viribus, quæ ipsi post lapsum reliquæ sunt. Rom. 8. 7. 1. Cor. 2. 14. Nec mirum est, hominem animale in opere Conversionis nostræ nihil posse. Mortuus enim est, quoad spiritualia, ut ea ex se nec intelligere, nec capere possit. Quamobrem etiam Christus Regnum DEI Spiritui seu Renato solùm homini promittit. Carni verò sive homini animali denegat, nisi è supernis renascatur. Job. 3. 5. 6. Quod autem Illi Liberum Arbitrium per gratiam prævenientem liberari & suscitari dicunt *πρωτῶν ψευδός* redolet, quasi voluntas corrupta reliquas habeat quasdam vires in Natura pro sui ἀναλήψης sed ligatas & sopitas. Sed hoc falsum esse, illud evincit, quod Spiritus S. ait, *omne sumentum cordis humani tantum malum esse ab adolescentia ipsius. Genes 6. 5. cap. 8. 21.* Liberatur autem omnino voluntas nostra in Regeneratione, non tamen per gratiam prævenientem, sed per perficientem: & liberatur quidem, non quoad resuscitationem *residuarum virium* Naturalium, quippe quæ nullæ sunt, sed per collationem *novarum spiritualium*. Quam in rem Apostolus scribit, *Nos esse in ipsius DEI opus creatos in Christo Iesu ad bona opera Ephes 2. 10.* Rectè igitur B. Lutherus iudicavit, Christum illa Carnis & sanguinis exaucturatione Libero etiam Arbitrio omnem vim Spiritui S. ad hominis Conversionem cooperandi, ἀποπέμωσεν denegasse.

Qv. 2

*An Fides, quam quis ex Institutione acquirit, sit à Carne & sanguine, adeoq; non vera & salvifica Fides?*

Muscu-

**M**uscus apud Marloratum hac de re sic scribit: *Hinc discimus, Fidem non esse rem tam levis momenti, ut passim sit omnium communis, cum hic audiamus, eam meminisse contingere, nisi ex revelatione Patris. Multi quidem sunt, qui hanc Fidem non negent ore, qui eam confiteantur; sed unde acceptam? vid. non ex revelatione DEI Patris, quæ non ex omnium, sed tantum Electorum: At, ex Carne & sanguine, hoc est ex Institutione Parentum, à quibus eam tanquam dogma quoddam acceperunt: Et quia illam humanitus acceperunt & non divinitus, ideò nec verè acceperunt, nec verè habent, nec beati sunt, & reverà credere dici nequeunt. Hæc ille; in quibus Autor præterquam quod illud quod singulariter de perseverante fide dictum est, de verâ fide præcisè spectata, qualis etiam est τῶν προσευχῶν Luc. 8. 13. pronunciat; illud præcipuè notamus, quod fidem, quam quæ à Parentum Institutione accipit, à Carne & sanguine proficisci eamque adeò nec veram nec salvificam esse scribit. Quæ sententia procul omni dubio falsa, scandalosa & Hæretica est. Primum enim χριστογνωσία seu vera cognitio de Christo Jesu θεοθεώπω Generis Humani Redemptore, aliunde peti non potest, nisi ex verbo divinæ revelationis, quippe in quo solo Consilium DEI de Redemptione nostra continetur. Quod postquam semel divinitus traditum est, per quemcunque tandem prædicetur, & sive ex chartâ recitetur, sive ex Memoriam repetatur, non desinit esse verbum DEI & potentia salutis Rom. 1. 16. Non enim vim suam ab hominibus habet, sed ab ipso DEO. Quamobrem & ipse Apostolus postquam monuisset alios Christum ex contentione, alios ex charitate annunciare, quid enim? ait: Modò prædicetur Christum, per occasionem, sive per veritatem Phil. 1. 18. Disciplina domestica parentum & aliorum, quæ filios ad cognitionem salutis adsuæ faciunt, habet divinum Mandatum Deut. 6. 7. Ephes. 6. 4. Quo nomine Spiritus S. etiam singulariter commendat in V. T. Patriarcham Abraham 18. 19. itemque in N. T. Priscillam & Aquilam, qui discipulum quendam nondum satis institutum assumisille, & de viâ salutis exactius erudiisse perhibentur. Actor. 18. 26. Quicquid enim Parentes & Præceptores hætenus agunt, non agunt, quia Carnem & sanguinem habent, sed quatenus sunt Ministri DEI & Institutione puer-*

puerorum & adolescentum ipsi subserviunt, quemadmodum David dicebat: *Venite Filii, audite Me; Timorem Domini docebo vos. Psal. 34. 12.* Dum autem disciplinam domesticam exaustrat & contentui exponit hæc opinio, propterea quia ab hominibus administratur, eadem operâ *publicum etiam Verbi Ministerium elevat.* Nam & illud ab hominibus exercetur. Quemadmodum & revera Reformati Fidem Electis à DEO immediate infundi nec Ministerium Verbi in opere Conversionis plus efficere contendunt, atque *Virga Moysi* præstitit in designandis prodigiis Ægyptiacis. Sic enim *Rivetus ad Exodi cap. 14. 16.* Mandat DEUS Moysi, ut quod ille tamen sua potentia SOLA facturus erat, sed ad signum à Mose datum. Ergo Moysi potest tribui, quod mare illud fudit tanquam instrumento DEI, non tamen quod vi aliqua suâ vel baculi percutientis mare, in effectum, ut ita dicam, influxerit, sed quia signum exhibeat, ad quod effectus secutus est vi divinâ. Unde interpretandæ sunt sacramentales locutiones, in quibus Ministris & signis sacramentalibus tribuitur salus hominum, regeneratio & similia; ipsa etiam remissio peccatorum, quæ cum sit solius DEI, opus tribuitur Ministris, extentibus nempe *VIRGAM* verbi divini, quò annunciatur reconciliatio. Hæc ille. Sed hæc sententia Schwenckfeldianismo valdè adfinis est, & S. Literis disertè contrariatur. Dicitur enim Verbum DEI esse potentia DEI ad salutem Rom. 1. 16. esse Spiritum & vitam. Joh. 6. 63. Esse vivum & efficax & penetrantius quovis gladio ancipiti Ebr. 4. 12. posse salvare animas nostras Jacob I. 21. &c. Quæ & similia Verbo Dei non solum officium significandi, sed imprimis etiam efficaciam salutarem Conversionis tribuunt. Quàm frigidè verò Schwenckfeldius de Ministerio verbi locutus sit, & quomodo ei omnem efficaciam salutarem detraxerit, videri potest apud *Schlüsselb. Catal. Heret. l. 10.* Quare disciplina etiam & Pædagogia, qua Parentes & Præceptores suos domesticos & discipulos ex Dictis S. Scripturæ de Christo informant & erudiunt, non debet sub notione Carnis & sanguinis comprehendi.

D. Qv. 3.

*An vera Fides Nemini, nisi Electis, contingat?*

**E**st & hoc *Reformatorum* dogma ex peremptorio Absoluto Decreto profluens, quo statuunt *veram fidem nemini, nisi solis absolutè Electis divinitus dari*, eisque solis propriam esse. Fidem enim statuunt pendere ab Electione, non Electionem à Fide, quasi non par esset omnium hominum absque Fide & extra Christum maledictio & miseria, nec quisquam elegerit aut hæres salutis à DEO adscribi potuerit, nisi qui per fidem in Christo gratus redditus, & adoptatus fuerit. Loquimur autem de Fide præcisè spectata quatenus est fiducia gratiæ DEI & salutis in Christo Redemptore. Quo posito Contradictoriam non immeritò amplectimur & fidem ex absoluto aliquo decreto solis Electis contingere & propriam esse, disertè negamus. DEUS enim Filium suum & Verbum fidei ac solutis nemini invidet, sed sicut illum Toti Mundo Redemptorem dedit, ita seriò vult omnes ad regnum ipsius vocari, omnes salvos fieri & ad agnitionem veritatis pervenire. 1. Tim. 2. 4. Cujus autem Media ex benevolò & salutari DEI consilio ad universos homines pertinent, illud Electis à priori, nec solis destinatum, nec solis proprium est. Accedit Communis conditio omnium Renatorum qui nisi Fide præditi sint, verè renati dici non possunt. Joh. 12. Hinc omnes Masculi in Judaismo circumcisi in fœdus gratiæ recepti sunt: omnes baptizati Christum induerunt. Gal. 3. 27. Quod certè sine Fide fieri non potuit. Veruntamen non omnes salvi facti sunt. Plures enim eorum non approbavit DEUS 1. Cor. 10. 5. Denique S. Scriptura disertè meminit τῶν ὑποκριτῶν, qui ad tempus credant, & in Tempore Tentationis deficiat. Luc. 8. 13. At fides ὑποκριτῶν seu Temporaria etiam est vera fides sive Principium confideres, quod est Spiritus Sanctus, qui in iis qui verbum audiunt & sēmen cœleste percipiunt gratiosè operatur, intellectum & voluntatem renovat & sanctificat. Tit. 3. 5. sive objectum quod est Christus cum suo merito, quem Evangelium prædicat & omnibus

bus ad Justitiam, ac salutem commendat; sive fructus fidei, velut est sensus gratiæ & lætitia spiritualis, quâ de re loquitur Apostolus. *Ebr. 6. 4. 5.* Cum igitur *ἀγαθὰ* omnia requisita veræ fidei habeant, eadem illis non potest denegari. Sic autem vera fides non solis Electis divinitus contingit, aut exclusivè propria est.

### III. *Promissio.*

## De Ædificatione Ecclesiæ super Petra & jubernatione ejus.

I.

**T**ertio loco sequitur *annexa Promissio Christi* de ædificatione Ecclesiæ super Petrà, quam Petrus modò confessus erat, & gubernatione illius per administrationem clavium. Præmittit autem Dominus in primâ parte de ædificatione Ecclesiæ *Præfativunculam* ad Confessorem directam, quâ eum compellat his verbis: *Et ego verò dico Tibi, Tu es Petrus.* Significans se commendationi præcedenti adhuc aliquid amplius addere velle. Quæ enim hæcenus dixit, videri poterant Petrum & cæteros discipulos tantum attinere; quæ verò jam sequuntur, spectant ad Totam Ecclesiam, & illius administrationem. Vocavit autem Petrum per denominationem à Petrà, quam confessus erat, quasi *πεπερωμῶν* vel *περεῶν* quod veram salutis Petram teneret, & in Fide rectè fundatus esset. Quam in rem S. August. Tr. 124. in Joh. scribit: Ecclesia fundata est super Petram, undè & Petrus Nomen accepit. Non enim à Petro Petra, sed Petrus à Petra; sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur. Vid. Ambros. serm. 84.

2. Huic præfativunculæ subjicit Dominus statim ipsam *promissionem*, cujus prima pars agit de Ædificatione Ecclesiæ, de qua sic ait Dominus: *Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Petram vocat, objectum Confessionis Petrinæ puta seipsum, Christum *Ἰεσὺν* Salvatorem Mundi. Hic enim solus est

D 2

funda-

fundamentum fidei *1. Cor. 3, 11* Caput Ecclesiæ *Ephes. 1, 22*. Salvator Corporis sui. *Cap. 5, 23*. Lapis angularis *Psal. 118, 22*. *Matthæi 21, 42*. *Actor. 4, 11*. Petra salutis *1. Cor. 10, 4*. Hic solus sanguine suo acquisivit Ecclesiam *Actor. 20, 28*. eamque verbo & Spiritu suo regit, & conservat & brachio fortitudinis suæ tuetur tandem æternum glorificaturus. *Ephes. 5, 23. & seqq.* Petra est Christus ratione meriti, quò fundatur, ratione verbi, quò ædificatur: ratione divinæ Providentiæ singularis, quâ regitur & defenditur Ecclesia. Hoc est, quod Salvator ipse dicebat: Oves meæ vocem meam audiunt & ego cognosco eas & sequuntur me. Et *Ego vitam æternam do eis, nec peribunt in æternum neque rapiet eas quisquam de manu mea, Job. 10, 27.* Quam in rem *Venerabilis Beda in Homiliis*; Super hanc Petram, inquit, h. e. super DEUM Salvatorem, qui fideli suo Cognitori, amatori, Confessori participium sui Nominis donavit, ut videl. à Petra Petrus vocaretur, supra quam ædificaretur Ecclesia; quia non nisi per fidem, & dilectionem Christi ad sortem Electorum & æternam pertingitur vitam Apostolo attestante, qui ait: Fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id, quod positum est, quod JESUS CHRISTUS, *1. Cor. 3, 11*. Vid. *Ambros. l. 1. Retract. cap. 21.*

3. Quod autem Christus Ecclesiam ædificare promittit, hoc de Institutione & Conversione hominum ad fidem ipsius & de sustentatione conversatione ac defensione piorum intelligendum est. Sic enim Christus nos sibi per Verbum & Sacramenta superædificat, ut nobis de suâ virtute communicet, & nos in ipso *πεπερωμύς* vel Petros vel saxosos reddat, veluti vivos lapides ædificatos in domum spiritualem ad offerendum spirituales hostias acceptabiles DEO per JESUM CHRISTUM, *1. Petr. 2, 5*. Ædificavit autem Dominus primitus per suos Apostolos, quemadmodum S. Paulus de se scribit, quod ipse prædicando Christum more sapientis Architecti fundamentum posuerit, *1. Corinth. 3, 10*. & alibi meminit, Christum dedisse Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Pastores & Doctores ad Instaurationem sanctorum in opus administrationis in *Ædificationem Corporis*.

poris Christi, *Ephes. 4, 11. seqq.* Hodiè igitur ædificat per Doctores Ecclesiæ, qui Apostolis in officio prædicandi successerunt; sic tamen ut dum sive Paulus, sive Alius prædicat & rigat, ipse solus incrementum largiatur, *1. Cor. 3, 7.*

4. Quidam per Petram hanc *Fidem & Confessionem Petri* intelligunt, sed res eodem recidit. Nam Confessio Petrina agit de Christo eumque nobis tanquam Salvatorem Generis humani prædicat & fide ad iustitiam singulatim amplectendum proponit. Tum Christus aliter non nisi in Verbo Evangelii apprehendi & applicari potest. Quapropter nos ipse ad S. Scripturam remittit, & indè nobis vitam æternam pollicetur *Job. 5, 30.* sic *Chrysostronus*: super hanc Petram, inquit, *h. e. in hac fide & Confessione ædificabo Ecclesiam meam.* Quomodo & Apostolus scribit: *Superstruendi estis super fundamentum Apostolorum & Prophetarum summo angulari Lapide existente JESU CHRISTO, Ephes. 2, 20.*

5. *Ædificare* igitur promissit Dominus Ecclesiam suam; *Ecclesiam*, inquam, sive communionem sanctorum ex Genere humano, peccato & maledictioni obnoxio, per Ministerium Verbi collectorum & in fide Christi cum ipso & inter se deviatorum ad gloriam DEI & ipsorum fidelium æternam salutem. Intelligit enim *Ecclesiam universalem*, quam vocant, seu Catholicam, quæ omnes particulares complectitur, ubicunque homines per verbum DEI & Sacramenta ad Christum convertuntur. Hanc suam vocat Ecclesiam, tum, quia eam suo sanguine acquisivit, *Actor. 20, 28.* tum quia Lege abrogatâ novam Oeconomiam Evangelicam instituit *Job. 1, 17.* & Israëlitis etiam gentiles adjecit, *Job. 10, 16.* tum denique quia ei novum nomen conciliavit, ut Christiani dicantur, qui antehac Mosis discipuli appellabantur, *Job. 9, 28.* Licet enim idem fuerit Veteris & Novi Testamenti Salvator & promissus Messias, *Ebr. 13, 7.* tamen quia nomen Jesu Nazareni nondum promulgatum erat, Ecclesia nondum ab eodem denominata fuit, *Actor. 11, 26.*

6. *Altera pars Promissionis agit de Conservatione & Perseverantiâ Ecclesie adversus Portas Inferorum.* Et portæ inferni prævalebunt adversus illam. Portas Inferni vocat consilia, vires & machinationes Diaboli, quibus Ecclesiam impetit, quassat & statione sua movere laborat. In Portis enim olim ad Consultationes, & ad arma conveniebant. *Deut. 16, 28. cap. 25, 7. cap. 28, 52. Ruth. 4, 11. 1. Chron. 20, 9.* Per Infernum autem intelligit *Regnum Tenebrarum*, cui præest Princeps Tenebrarum, *Ephes. 2, 12.* qui operatur in filiis incredulitatis *Ephes. 2, 2.* Ubicunque igitur Consilia agitantur & arma parantur adversus Ecclesiam piorum, ibi sunt Portæ Inferni & Regnum Diaboli & potestas tenebrarum. Nihilominus tamen omnibus illis Machinationibus Mundi & Satanæ hunc eventum prædicit Dominus, quo futurum sit, ut non prævaleant adversus eam, significans confusionem Hostium & frustrationem illorum Conatum, quibus vim intenterati sunt ei; Consequenter verò etiam haud obscurè vult inferre victoriam Ecclesie, quâ omne periculum evasura & ab omnibus Satanæ molitionibus illæsa & inconcussa permanens sit. Nam sicut in obsidione, quando Hostis, quamvis omnibus tentatis, re tamen infecta, discedere cogitur, victoria obsessis cedit: Ita quando Satanæ omnibus adversus Ecclesiam frustra tentatis, ei tamen prævalere non potuit, tandem cum Confessione discedere, illique victoriam & triumphum relinquere cogitur. Extructa enim & fundata est in Petra invincibili Christo, cui donec per fidem insistit, moveri & superari nihilo magis potest, ac ipsa Petra, à quâ efficaciter sustentatur, & nisi quis ultrò deficiat in sua stabilitate conservatur, ut dicere & gloriari liceat: Conturbati sunt Montes in fortitudine ejus. Flaminis tamen impetus lætificat Civitatem DEI, sanctum Tabernaculum Altissimi. DEUS in medio ejus non commovebitur, *Psal. 46, 5. seqq.*

7. *Tertia pars Promissionis agit de Gubernatione Ecclesie per Potestatem Clavium, de qua Dominus ulterius ad Petrum dicit: Et dabo Tibi claves Regni Cælorum. Et quodcunque ligaveris*



veris super terram, erit & ligatum in caelis. Et quodcumque sol-  
veris super Terram, erit solutum & in caelis. In quibus verbis  
dispicendum est partim quid claves illæ sint, aut significant;  
partim quem effectum habeant; partim etiam, quo modo ad-  
ministrandæ sint. Quod attinet ipsas claves, certum est,  
eas notare potestatem divinam quidem, sed Ministerialem  
hominibus pro re nata jus & ingrediendi cælum vel imper-  
tendi vel denegandi. Metaphora petita est à vicem tenente  
Præside alicujus civitatis, cui Princeps claves illius concre-  
didit, adeoque Inspectionem ac custodiam ejus commisit, ut  
in Municipium recipiat & intromittat, qui se in clientelam  
Domini tradunt; excludat contra, qui ei se subicere de-  
trectant. Sic Eliakimo promittebat Deus dare clavem  
domus David super humerum ejus aperiendi & claudendi  
citra impedimentum, *Jes. 22, 22.* Similis Tropus est in Ver-  
bis solvendi & ligandi, similitudine à ducta à *vinctis in Carcere*  
& *illorum Præsente*, qui potestatem habet eos vel dimittendi  
vel detinendi. Quo modo Propheta Beneficium Christi  
Evangelicum descripsit, fore scilicet, ut Dominus Messias ro-  
bustum armatum vinceret & captivos à potestate ipsius exime-  
ret *Jes. 49, 24. Ebr. 2, 14.* adeoque prædicari curaret Captivis  
indulgentiam & clausis aperiens *cap. 61, 1.* Sic ergò per  
indulgentiam, vel *absolutionem* significatur *dispensatio gratia*,  
qua Pœnitentes per remissionem peccatorum è potestate &  
captivitate Diaboli eximuntur, & in spiritualem libertatem  
vindicanur. Quod autem in Contrarium additur, *de ligandis*  
*Impœnitentibus*, hoc non ad Evangelium propriè, sed ad  
Legem pertinet, quatenus Luce Evangelii collustrata est.  
Evangelium enim semper prædicat gratiam, fidem & remis-  
sionem peccatorum in Christo. Quod autem eam impœni-  
tentibus non dispensat, actus purè negativus est, unde Lex  
occasionem accipit, vim suam adversus hominem à Christo  
alienum & omni satisfactione destitutum exercendi eique  
maledictionem & exclusionem à gratia & regno cælorum  
denunciandi. Scilicet *qui credit in Filium, habet vitam æter-*  
*nã*

nam: *Qui verò non credit Filio, non videbit vitam, sed ira DEI manet super eum, Job. 3, 36.*

8. *De effectu* dicit Salvator, quicquid clavigeri illi solvendo vel ligando in Terrâ præstiterint, illud omne ratum fore etiam in cœlis. Per Terram intelligit Regnum Gratiæ seu stationem hujus vitæ, ubi Ecclesia Militans versatur, in qua Evangelium prædicandum & Hominibus tum gratiosum DEI Consilium de salute credentium, tum Judicium ejus de rejectione impœnitentium exponendum est, juxta illud: *Sic DEUS dilexit Mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Qui credit in eum non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus est, quia non credit in Nomen unigeniti Filii DEI, Job. 3, 16. 18.* Ne quis igitur sive de absolute Ministeri Evangelici dubitet, sive præter Evangelium aliam de cœlo revelationem & assècurationem expectet, Christus disertè testatur, sententiam illius, quam secundum Verbum DEI sive absolutoriam ad vitam, sive condemnatoriam ad Judicium pronunciaverit, in cœlo ab ipso DEO ratam habitum iri, ut qui in Ecclesiâ absolutus est, Filius DEI & hæres salutis; qui verò ligatus est, filius Gehennæ & mancipium Satanæ sit, & manere debeat. *Judicaturus enim est DEUS olim occulta hominum juxta Evangelium Apostolorum per Jesum Christum, Rom. 2, 16.*

9. *Modus administrandi* disertè quidem hic non exprimitur, sed ex aliis tamen Locis succenturiatis addi, & suppleri potest scilicet, quamvis DEUS juxta directum suum Consilium, certo modo & ordine, omnibus hominibus benè & consultum velit, *1. Tim. 2, 4.* quia tamen vidit multos gratiosum ipsius Consilium aspernaturus esse *Luc. 7, 30.* propterea vigore ordinis à se primitus constituti, decrevit eos quidem, qui in Christum credunt & in fide illa perseverant salvare; qui verò deficiunt & in infidelitate ac impœnitentia decedunt, reprobare & à salute exclusos in Gehennam abjicere.

*Marci*

*Marci 16, 16.* Non igitur voluit, ut Bona ecclesia vel omnibus promiscuè dignis, an indignis, filiis an canibus sine discrimine, *Matth. 7, 6.* vel uni præ alio ex proprio arbitrio & privato affectu dispensarentur, sed absolutionem quidem ex Evangelio pœnitentibus ac Contritis; Maledictionem verò ex Lege Impœnitentibus prædicari, ac denunciari iussit. Sic S. Petrus Auditoribus suis pœnitentiam præ se ferentibus baptismum & remissionem peccatorum impertivit *Actor. 2, 37. 38.* Simoni verò Mago perditionem denunciavit *Actor. 8, 20.* Similiter & S. Paulus Philippo Custodi Carceris dicebat: Crede in Dominum JESUM, & salvus eris, Tu & domus tua *Actor. 16, 30.* Vicissim autem Corinthi, cum Judæi Evangelio contradicerent, excussis vestimentis Judicium ipsis denunciavit, & : *sanguis vester, inquit, super Caput vestrum Actor. 28, 6.* Sic ergò hodieque Ministri Ecclesiæ homines ex externis signis dignoscere, & absolutionis dispensationem, qua ut Ministri funguntur, non ex privato arbitrio vel affectu, sed secundum Regulam Verbi divini moderari debent. Sunt enim Christi Ministri ac dispensatores Mysteriorum DEI. Jam verò in Ministro novissimè hoc requiritur, ut aliquis Domino *fidelis reperiat, 1. Corinth. 4, 1.*

### Loci Communes.

1. *Petra Ecclesiæ fundamentalis realis est Christus.*
2. *Ecclesia in Christo contra Portas Inferorum satis assecurata est.*
3. *Christi Ministri Ecclesiam in ipso Christo edificant.*
4. *Quod quædam Ecclesiæ defecerunt, non Christi culpa est, sed Apostatarum.*

E

5. Of-

5. *Officium Ministrorum Ecclesie est predicare poenitentiam & remissionem peccatorum.*

## QVÆSTIONES.

I.

*An ex hoc loco Petri Primatus Oecumenicus  
& consequenter Pontificis R. Dominatus  
probari possit?*

**H**ic est ille locus, quo Papistæ in demonstrando Primatu Petri, quem vocant, vel potius in adserenda Tyrannide Pontificis Romani super Ecclesiam niti ferè unicè solent, quemadmodum ex Disputationibus eorum ad oculum apparet. vid. *Bellarmin. l. de Rom. Pont. cap. 10. & seqq.* Quam nihil autem ille ad præsentem Quæstionem faciat, jam dudum ostendit *B. Lutherus Tom. 1. Jen. de Potestate Papa*, & post eum alii deinceps, ut Adversarios hodiè non immerito pudere debeat futilium illarum ineptiarum. Quia tamen non cessant hodieque Thesin suam ex eodem Loco tueri, nostrum est, Veritatis fundamenta sectari. Ut autem eò melius intelligatur, quid illi sub nomine *Primatus* sui complectantur, juvat illius Mysterii explicationem qualemcunque præmittere. Scilicet intelligunt per Primatum Oecumenicum *summam potestatem in omnem Ecclesiam*, sicut *Bellarminus* fatetur, *l. 1. de Pontif. Roman. cap. 13.* Id quod majoris *αὐθεντίας ἐνεκα* *Schmalcaldici Theologi* sic interpretati sunt: *Scilicet Romanus Pontifex arrogat sibi, quod jure divino sit supra omnes Episcopos & Pastores.* Deindè addit etiam, *quod jure divino habeat utrumq; gladium*, h. e. *autoritatem etiam regna conferendi & transferendi.* Tertio dicit, *quod hæc credere sit de necessitate salutis.* Et propter has causas Romanus Episcopus vocat se *Vicarium Christi in Terris.* *Tract. de Potestate & Primatu Papa.* Nec hoc inficiantur Pontificii. Cùm autem illud axioma

ma

na nullo probabili argumento de Pontifice Romano demonstrare possint, Petri Personam interponunt, ut quod illi qualicumque prætextu tribuere posse videantur, postmodum per Romano-Catholicam & Jesuiticam consequentiam ipsi Papæ applicare queant. Videndum est igitur ante omnia de ipso *Petro*, an illi primitus talis aliquis primatus hoc loco promissus fuerit? Quod Adversarii quidem affirmant, Nos autem negamus, & Negativam absque magna difficultate probari posse, statuimus.

Primum enim *appellatio Petri*, qua Dominus dicit: *Tu es Petrus*: tantum *personalis* est, & præcisè sumpta pro Nomine *πετρος*, suppositum illud, qui cum Dominus loquebatur, designat. Si maximè verò cum *Emphasi* significationis Originalis & Etymologicæ sumatur, vicissim non *officiale*, sed *personale* prædicatum constituit, & non *causaliter* ipsam Petram fundantem; sed *effectivè* hominem in Petram fundatum & fortem Confessorem ac Præconem significat. Hinc Salvator Petram fundamentalem à Petro fundato Genere & Flexione distinguit. Quem Petrus ipse secutus jubet suos *accedere ad Dominum, qui est Lapis vivus* ab hominibus rejectus, à DEO verò electus, ut ipsi quoque veluti vivi lapides ei inædificentur tanquam domus spiritualis, 1. Petr. 2, 4. 5. Undè & S. Augustinus rectè monuit, non Petram à Petro, sed Petrum à Petram denominari. Falluntur igitur, qui Petrum & Petram Synonyma Grammatica, & ejusdem simpliciter virtutis vocabula esse, putant. Quibus adhuc turpius & puerilius errant, qui Petrum *Cephas quasi Caput* dictum volunt à Græco κεφαλή; quam tamen Etymologiam Pontificia autoritate confirmatam esse videmus. *Distinct. 22. cap. 2.*

Quod igitur secundò Petram ipsam attinet, cui Dominus Ecclesiam suam inædificare promisit, absit per omnem modum, ut eam de Apostolo Petro accipiamus. Solus enim Christus est *Reale Fundamentum*, Caput & Salvator suæ Eccle-

hæ, 1. Cor. 3, 11. Ephes. 1, 22. cap. 5, 23. & Lapis Fundamenti,  
probatus, Angularis, pretiosus, Jes. 28, 16. 1. Petr. 2, 6. Sanè  
commemorat Sacra Scriptura etiam *fundamentum Apostolo-  
rum & Prophetarum*, cui superstructi sint Christiani, sed *sum-  
mum angularem lapidem* excipit, esse CHRISTUM JESUM,  
in quo omnis structura coagmentetur, & crescat in Templum  
sanctum in Domino &c. Ephes. 2, 20. Quibus verbis distin-  
guit inter Doctrinam Apostolorum, & inter Lapidem angula-  
rem, h. e. inter *fundamentum Ministeriale* vel *Instrumentale*,  
& inter *fundamentum Reale* ac *Principale* Ecclesiæ Christianæ,  
quod h. l. per Petram significatur. Doctrinam de Christo  
Generis humani Redemptore ex instinctu Spiritus Sancti  
omnes Apostoli primitus, tanquam Ministri proposuerunt,  
eaque Ecclesias Evangelicas fundarunt, undè de *Muro Civi-  
tatis DEI* scriptum est; quod habuerit *duodecim fundamenta*,  
& in ipsis *duodecim Nomina Apostolorum agni*, Apocal. 21, 14.  
Nihilominus tamen solus Christus *Ἰεσὺς Χριστὸς* est, & manet  
*Petra*, & lapis angularis h. e. Dominus & Salvator Ecclesiæ  
suz, quam sicut sanguine suo redemit, ita verbo, Spiritu ac  
virtute, & potentiâ suâ sustentat, conservat, regit ac tuetur,  
quod nullus Angelus, nedum Homo aliquis præstare potest.  
Quare salva hac Distinctione quidam quod Christus hic de  
Petra dicit, cum præcedentibus ita connectunt, ut illud de  
*Ministerio Confessionis Petrine*, objectivè spectato exponant  
hoc sensu: super hanc Petram, i. e. super *Ministerium Confes-  
sionis Petri*, in qua prædicavit JESUM esse Christum Filium  
DEI, &c. ædificabo Ecclesiam; Qua ratione Petrus non  
fit ipsa Petra, sed Petræ Minister, præco & assertor. vid. *Ar-  
tic. Schmalcald. d. l.* Et hoc est quod S. Paulus de se & Col-  
legis suis scribit: *Non prædicamus nos ipsos, sed Christum  
Jesum DOMINUM: nos autem servos vestros propter  
Jesum*, 2. Cor. 4, 5. Qui verò sic se habet ad Petram Eccle-  
siæ, ille non est ipsa Petra adeoque nec caput aut primas  
Ecclesiæ universalis.

Deinde

Deinde nec *Actus Edificandi*, cujus Dominus meminit, ralem externum Dominatum & Primatum Ecclesiastico-Politicum, sed ex parte DEI *spirituale Beneficium*, ex parte Apostolorum *Ministerium* infert, quod in prædicatione verbi, & Conversione hominum consistit. Sic enim ipse Apostolus Petrus ædificium illud, quò fideles veluti vivi lapides Christo electo lapidi fundamentalis superstruantur, describit, quando οἶκον πνευματικόν, ἱερῶν θεμελιῶν, h. e. domum spirituales & sanctum sacerdotium appellat, 1. Petr. 2, 5. Et S. Paulus ædificationem hanc per prædicationem Evangelii de Christo explicat: *Prædicavi*, inquit, *non ubi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem*, Rom. 15, 20. Et alibi scribit, *se veluti sapientem architectum fundamentum posuisse & cum Collegis prædicando plantasse & rigasse, DEUM verò huic labori benedixisse, & plantatis incrementum dedisse*, 1. Cor. 3, 6, 10. Sic igitur DEUS per Apostolos ædificavit super Petram, dum per verbum in animis audientium fidem accendit, & credentes per fidem Christo inseruit & coalescere, sive ut ita dicam, illapidescere & consolidari fecit. Hoc autem quatenus DEI opus est, divinam quidem efficaciam & defensionem complectitur, sed ita soli DEO proprium, & ipsi cum nullo hominum commune est. Quatenus autem ad Apostolos spectat, Ministeriale est ac dispensationem verbi & Sacramentorum, sed neutro tamen respectu talem primatum Oecumenicum Ecclesiastico-Politicum importat. Quod enim DEUS per verbum Conversionem & perseverantiam in animis hominum operatur, spirituale Beneficium est. Quod verbum prædicatur, externum quidem opus est, sed Ecclesiasticum & Ministeriale & sine potestate Legislativâ & coactivâ Poltica jam olim exercitum fuit. Ergò pro illâ nihil hinc potest concludi.

Accedit, quod *nihil hic Petro singulariter*, sed tota potestas clavium *omnibus Apostolis ex aquo & communiter* promissa fuit. Nam Petrus pro omnibus, quos Christus pariter inter-

terrogarat, communi nomine respondit. Tum ipse Salvator omnibus promiscuè silentium imposuit, eò quod omnes ejusdem Confessionis conscios ac socios esse judicaret. Quin etiam deinceps eam potestatem omnibus pariter Apostolis contulit, adeoque manifestò ostendit, quousque illud, quod hic Petro dixerat, intellectum vellet. *Matth. 18, 18. Job. 20, 23.* Hinc omnes Apostoli pariter verbum Evangelii prædicarunt & gubernarunt sine ulla sive mentione, sive exercitio vel usurpatione *Primatus Romano - Catholici*; quod etiam *Bellarminus* factum esse agnoscit, nisi quod excipit, *omnes quidem fuisse capita, Rectores & Pastores Ecclesie, sed non eodem modo, quo Petrus. Illos enim habuisse summam atque amplissimam potestatem, ut Apostolos & Legatos; Petrum autem ut Pastorem Ordinarium.* Deinde habuisse plenitudinem potestatis, sed ut tamen Petrus esset caput eorum, & illi ab eo penderent, non è contrariò. *l. 1. de Pontif. Roman. cap. 11.* Verùm hoc ipsum versatur in Quæstione, quod igitur, cùm *Cardinalis* nullo argumento idoneo probare conatus sit, nos inter *Fabellas Romano - Catholicas* recensemus, adeoque concludimus, *Primatum Petri Oecumenicum, quem vocant, ex hoc loco demonstrari non posse.*

Quo minùs quicquam hujusmodi sibi jure arrogare potest *Pontifex Romanus.* Præterquam enim quod Petrus ipse illud Axioma Primatus non habuit, nec Papa jus successionis ullo idoneo argumento probare potest. Adserunt hoc Pontificii sub prætextu *Juris divini.* Sed in S. Literis, undè jus divinum probari debebat, eà de re ne apex quidem ullus reperitur. Mirum autem foret, Christum, qui ante suum discessum S. S. Ministerium docendi instituit & discipulos in universum Terrarum orbem ablegavit, & omnia cætera perquam providè disposuit, summi Capitis, à cujus nutu & arbitrio totius Ecclesie gubernatio, & omnium fidelium *ius* penderet, oblitum esse! Quin imò mentionem illius fecit;

At



At non Petro, sed sibi summam potestatem vindicavit, Apostolos autem suos pariter ad populum Legatos esse voluit: *Mibi, inquit, data est omnis potestas in Cælo & in Terrâ. Vos ergo exeuntes docete omnes Gentes, &c. Ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad Consummationem seculi, Matth. 28, 18.* Quo ipso providere, & omnem illis causam præcidere voluit sive de capite & summo Præposito; sive de aliquo illius successore cogitandi, quando sibi ipsi summam potestatem super Ecclesiam & Ministerium ejus vindicavit, & se illiusque ad Consummationem seculi ne Vicario opus haberent, perpetuò suâ gratiâ & defensione præstò futurum esse promisit. Quod si verò Petrus omninò successorem habere debuisset, cur Linum potius vel Clementem eligi oportuit, quàm Johannem Apostolum, qui unus erat de prædelectis Testibus JESU CHRISTI? *Actor. 10, 41.* Denique quomodo Pontifices Roman. & quàm turpissimis mediis Episcopatum Roman. obtinuerint, quamque se tum CHRISTO tum Petro in doctrina vita & regimine non similes, sed dissimillimos & tantum non profesos hostes gesserint, ex singulorum vitis ac historiis manifestum est. Ex quibus jam bona Consequentia concludimus, *Petrum in eo fictitio Primatu omninò nullum, nedum Pæpam successorem habere.*

Qv. 2.

*An Romana Ecclesia sit illa unica præ cæteris omnibus immediatè à Christo super  
Petra edificata Ecclesia?*

**I**Ta gloriantur Pontifices Roman. quando in Corpore Canonico *Distinct. XXI. Cap. 3.* sic loquuntur: *Quamvis universum per orbem Catholica Ecclesia sint unus thalamus Christi, sancta tamen Romana Catholica, & Apostolica Ecclesia*

sia nullis Synodicis constitutis ceteris Ecclesiis prelata est, sed Evangelica voce Domini & Salvatoris nostri primatum obtinuit. Tu es Petrus, inquit, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam, & Porta inferni non prevalebunt adversus eam. Et vicissim *Distinct. XXII. cap. 1.* Omnes sive Patriarchei cujuslibet apices sive Metropoleon primatus aut Episcopatum Cathedras vel Ecclesiarum cujuslibet Ordinis dignitates instituit Romana Ecclesia; Illam verò solus ille fundavit, & supra Petram fidei mox nascentis, erexit, qui beato aterna vita clavigero Terreni simul & caelestis Imperij jura commisit. Idem sequenti *Cap. 2.* verbis paululum mutatis repetitur. Undè patet, quod Pontifices Roman. vigore hujus Dominicae promissionis Ecclesiam Romanam haberi velint pro sola primitus ab ipso CHRISTO instituta, Metropolitanâ, immobili & infallibili Ecclesia. Verùm Nos hoc ipsi Axioma non competere, sed injuria vendicari, statuimus, obsequentes Rationes.

*Primum* enim Ecclesia Romana, cum primitus Evangelium promulgaretur, ipsa non statim ante alias omnes fundata, sed aliquot demum annis post constituta est. An putabimus ergò priusquam Petrus Romam pervenerit, Ecclesiam super Petram ædificatam non fuisse? Quid si verò ille Romam nunquam venisset? Certè nec ex Sacris Literis nec aliundè *αφ' ουτως* demonstrari potest, quod Petrus unquam Romæ fuerit, aut tanquam Primas universalis Ecclesiæ sedem suam ibi per annos 25. habuerit; quamobrem etiam multi Contrarium longè probabilius esse sustinent. Quod enim *S. Paulus* Romæ fuerit, ibidemque docuerit, & Romanis tanquam suis Auditoribus Epistolam dedicarit, exploratum & confessum esse arbitramur. Jam verò ille non consuevit super alienum fundamentum ædificare, *Rom. 15, 20.* sed nec Petri tanquam Socii vel Collegæ ac Commilitonis ullibi meminit, cum tamen cæterorum, qui cum ipso fuerunt, honorificam mentionem

tionem fecerit, sicut apparet ex Epistola ad Philipp. ad Coloss.  
 Præterea si Paulus anno post adscensionem Christi septimo 7.  
 conversus est, anno abhinc Tertio prima vice Hierosolymam 3.  
 adscendit, & Petrum visitavit, unde primi decem anni; secun-  
 dâ vice iterum adscendit post annos 14. & vidit Jacobum ac 14.  
 Petrum, undè anni 24. emergunt, quos intra Petrus in Ju-  
 dæa hæsit; Postmodum secutum est Concilium in Hierosoly- 1.  
 mitanum, Act. 15. Cui procul dubio intervallum aliquod  
 tribuendum est: Posito jam Petrum illo absoluto, statim An-  
 tiocham pervenisse, & integrum septennium exegisse, sicut Ad- 7.  
 versarii contendunt, tùm anni conficiuntur circiter 32. Qui- 32.  
 bus si computetur tempus Visitationis, quâ Ecclesias in Asia,  
 Ponto, Galatia, quibus Epistolam primam dedicaverat, in-  
 visit teste *B. Hieronymo* in Catalogo, quantum spatii Domi-  
 nationi ipsius Romanæ supermanebit? Totum enim Cur-  
 riculum Petri indè ab obitu Salvatoris fuisse perhibetur non  
 nisi 37. annorum. Ita coherent Fabulæ! scilicet, *sicut funi-*  
*lus ex arenâ.*

Deindè certum est, Christum *de universali Ecclesia* locu-  
 tum esse, quando suæ mentionem facit Ecclesiæ. Loquitur  
 namque Dominus de Ecclesia in singulari quidem, sed inde-  
 finitè, ut omnium locorum cœtus, qui verbum ipsius reci-  
 piunt, & de doctrina fidei inter se consentiunt, & Sacramentis  
 juxta Salvatoris institutionem utuntur, complectatur. Ver-  
 bum enim & Sacramenta faciunt & designant Ecclesiam. Ubi  
 igitur viget dispensatio verbi & Sacramentorum; Ubi duo  
 aut tres congregati sunt in Nomine Christi, ibi ipse est Ec-  
 clesia. Hoc autem latissimè patet per Totum Orbem Terra-  
 rum, ubi pro diversitate Locorum distincti cœtus reperun-  
 tur; qui per Verbum DEI eadem fide & charitate cum Christo,  
 & inter se devincti sunt. Hi ergò collectivè sumpti consti-  
 tuunt illam unam sanctam Catholicam Ecclesiam Christi.  
 Jam verò *Romana Ecclesia* tantum aliquod membrum illius,  
 per se verò *particularis est Ecclesia*. Continetur quippe certo

F

ac de-

ac definito districtu, nec ipsa omnes fideles sola unquam complexa est, sed inde ab exordio sui, sorores habuit Hierosolymitanam, Thessalonicensem, Corinthiacam, Ephesinam, Galaticas Ecclesias. Tum constat quomodo in Nicena l. Synodo de distinctione Districtuum, & paritate autoritatis inter Episcopos convenerit scilicet, ut servaretur vetus consuetudo, quae in Aegypto Lybia & Pentapeli obtinebat, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium potestatem haberet, quandoquidem Romano Episcopo parilis mos esset. Can. 6. Nec ignotum est, quod Episcopus Romanus sese aliorum Compatriarcharum Fratrem appellavit, & appellari passus sit. Haec autem omnia evidenter ostendunt, quod Romana Ecclesia tum temporis non fuerit universalis, sed solum particularis, ceteris sororiis & consanguineis contradistincta & suo certo ac definito districtu comprehensa Ecclesia. Unde porro sequitur, quod ea sibi praeceteris jure non possit arrogare Axioma illud, quod universali Ecclesiae datum est. Idque eò minus, quo certius est non illam, sed Apostolicam Hierosolymitanam ceterarum particularium Matrem fuisse. Oportebat enim in Nomine Christi praedicari poenitentiam & remissionem peccatorum in OMNES GENTES, initio facto ab Hierosolymis, Luc. 24. 47. Sicut Spiritus Sanctus praedixerat fore ut sonus & praeconium Apostolorum in fines Orbis Terrarum exiret, Psalm. 19, 5. Rom. 10, 18. Fuit enim Collegium Apostolorum Hierosolymis seminarium totius Ecclesiae, quippe unde primitus Evangelium promulgatum & semen regenerationis in omnes partes Orbis Terrarum dispersum fuit. Palam autem est, quod Romana Ecclesia nec Hierosolymitanam, nec alias Orientales, nec Graecas Ecclesias genuerit. Licet autem Occidentales aliquas constituerit: tamen semen verbi quod propagavit, ab Apostolis & Evangelistis accepit.

Præterea Ecclesia Romano-Catholica Apostotatrix hodie & sectaria est, quemadmodum patet ex Articulo de Traditionibus Ecclesiae, quas vocant & pari pietatis affectu cum verbo

D I I

**D**u i recipi volunt. De *Invocatione Sanctorum* ad geniculationē imaginum & statuarum Christi, quas eodem cultus genere puta religioso, cum Prototypo suo coli, & invocari jubent. De *Justificatione*, quam non per fidem & imputationem Justitiæ CHRISTI, sed per opera sive propria sive aliundē conquista, fieri docent secus ac Apostolica Ecclesia &c. Quamobrem etiam Spiritus Sanctus Roman. Ecclesiam *Matrem Fornicatio- num* vocat, *Apoc. 17. 5.* & pios ex illa jubet migrare, ne participent de peccatis illius, aut de plagis ejus accipiant, *cap. 18, 4.* Undē ex eventu constat, quod Portæ Inferorum adversus eam prævaluerint, quod tamen Dominus illi Ecclesiæ, quam supra Petram ædificare promisit, eventurum esse negavit. Quæ cum ita sese habeant, quivis animadvertit, quod illud à Christo promissum absolutæ ἀσφαλείας καὶ ἀνεκπτώσιας axioma Romano-Catholicæ Ecclesiæ præ cæteris non competat.

Qv. 3.

*Utrum Minister Ecclesiæ pœnitentiam præseferentes & absolutionem petentes Categoricalè, an cum Conditione absolvere debeat?*

**H**Æc Quæstio ad Praxin pertinet, & de usu clavium agit. Disputari verò solet contra *Pontificios*, qui ad fovendam remissionis & Justificationis incertitudinem Formulæ *Optativis & Conditionatis* utuntur, qualis est *Clementis VIII.* quam *Paulus V.* omnibus memoriter tenendam, & usurpandam injunxit, quæ sic sonat: *Misereatur tui omnipotens DEUS & dimissis peccatis tuis perducatur Te ad vitam æternam, Amen.* Mox elevata manu addere tenetur Confessionarius: *Indulgentiam, absolutionem & remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & misericors Dominus, Amen. &c.*

F 2

Dom-

*Dominus noster JESUS CHRISTUS Te absolvat. Et ego  
autoritate ipsius Te absolvo ab omni vinculo Excommunica-  
tionis &c. in quantum possum &c. Vid. Rituale Romanum.*  
Hanc & similes formulas nos improbamus, & absolutionem  
iis, qui pœnitentiam præ se ferunt, *Categoricè dispensandam*  
esse statuimus. Nam Absolutio habet rationem *sententiæ Ju-  
diciariæ*, quæ causa jam cognita vel quasi pro innocenti pro-  
nunciari solet. Præsupponit enim veram & evidentibus qui-  
busdam signis contestatam pœnitentiam, quæ licet primùm  
in præviis & præparatoriis Commonefactionibus requiri so-  
leat, ut *Conditio* v. g. *SI pœnitentiam egeris, & in Christum*  
*credideris, accipies remissionem peccatorum*: postmodum  
tamen quando præsentiam vel existentiam suam externis signis  
exerit & demonstrat, veluti sunt Confessio peccatorum, Con-  
testatio Contritionis ac Fidei, promissio novæ obedientiæ,  
petitio remissionis, &c. *præstat rationem Consequentie*, v. g.  
*QVI A doles de peccatis & in promissione Evangelii satisfactio-  
nem Christi pro Te præstitam verâ fide ad justitiam amplecti-  
ris, absolvo Te.* Sic *Eunucho* dicenti, Ecce aqua, quid verat,  
quo minus baptizer, puta in remissionem peccatorum? *Pe-  
trus* respondebat, *si credis ex toto corde, licet.* Hætenus  
*Conditio.* Cùm autem ille regereret: *Credo, Filium DEI esse*  
*JESUM CHRISTUM*, Petrus velut *impletâ Conditione*  
actutum cum baptizavit eademque opera absolvit, non bapti-  
zaturus, nisi Confessionem ratam habuisset, *Actor. 8, 36.*  
Deindè vel maxime interest eorum, qui absolutionem qua-  
runt, ut de præsentis statu gratiæ per verbû absolutionis certio-  
rentur, illi præcipuè, qui licet serio doleant de peccatis & in  
solo Christo omnem opem, ac salutem suam collocent, ex sim-  
plicitate tamen & infirmitate, veritatem & *præsentiam Fidei*  
*ex sensu* potissimum judicant. Quam igitur si in Tentationi-  
bus gravioribus præ tristitia & perturbatione animi, sensu &  
experimento non deprehendant, quod multis usu venire so-  
let; fieri posset, ut per Conditionatam absolutionem in du-  
bio relinquuntur, & magis ac magis perturbentur. Id quod  
tamen

tamen fini & scopo Totius Evangelii contrarium & à Ministe-  
rio absolutionis vel maximè alienum est. DEUS enim *El-  
lychnium fumigans non vult exstingvi*, *Jes. 42, 3.* Et nemini  
ignota esse debet vox Christi dulcissima, quâ omnes laboran-  
tes & oneratos ad se vocavit, iisq; *refocillationem & requiem a-  
nimarum promisit*, *Matth. 11, 28.* Denique si exemplo *Christi*,  
Prophetarum & Apostolorum insistere velimus, deprehende-  
mus eos non Hypothetica; sed Categoricala Formula usos esse.  
Sic enim *Christus* Paralytico: *Remissa sunt*, inquit, *Tibi peccata  
tua*, *Matth. 9, 2.* Et *Nathan*, cum David diceret: Peccavi;  
aditum Categoricalè respondebat: *Ideo sustulit Dominus pecca-  
tum tuum*, *2. Sam. 12, 13. Syr. 47, 13.* Similiter de eventu  
Concionis Pentecostalis Petri dicitur, quod cum ille suos  
auditores jusisset pœnitentiam agere, & baptismum recipere  
in remissionem peccatorum, omnes illi qui libenter recepe-  
runt verbum DEI, Categoricalè sicut baprizati, ita absoluti  
fuerint, *Actor. 2, 38.* Atque ita *Gerson* etiam *parte 2. de Forma  
absolutionis*, statuit, non Optativa vel Conditionata; sed Ca-  
tegorica Oratione utendum & dicendum esse: *Ego ex man-  
dato Domini nostri Jesu Christi remitto tibi tua peccata, in  
nomine Patris, Filij & Spiritus S. Amen.* Quam formu-  
lam etiam nostræ Ecclesiæ hæctenus usurparunt. Vid.  
Catech. B. Luth. Tit. de Confessione.

Nec est, ut quis excipiat, multos passim reperiri  
*Hypocritas*, quos, si Minister Ecclesiæ ab aliis non discer-  
nat, fieri posse, ut ipse falsum pronunciet, & tota ab-  
solutio in illusorium Drama desinat. Non enim  
omnes qui à Ministro verbi absolvuntur, sed illi so-  
lum, qui veram pœnitentiam agunt apud DEUM re-  
missionem peccatorum consequuntur. Aut igitur  
(quod haud ita pridem non nemini visum fuit,) *abso-  
lutionem cum conditione dispensandam esse*, quod quidem

omnibus Parochis vulgaribus observandum sit; aut  
*peculiarem illuminationem Spiritus s. expectandam esse,*  
quâ quis dignos ab indignis infallibiliter dignoscere  
possit; quæ quidem Christi mens fuisse videatur,  
quando absolutionis Institutioni donationem Spiritus  
S. præmiserit, ut intelligerent neminem infalli-  
biliter absolvere posse, nisi qui à Spiritu S. peculia-  
riter illuminatus fuerit. Verùm *Resp. Distingv. inter*  
*Eventum absolutionis; & inter Modum administrationis.* Nam  
quatenus remissio peccatorum in subjecta absolven-  
do veram pœnitentiam prærequirit, *eventus omnino*  
*conditionatus* est, undè fieri solet, ut quando illa de-  
ficit, absolutio Ministri circa Hypocritas effectu suo  
& intento eventu excidat ac frustretur. Sed hoc  
fit *per accidens*, nec à Ministro Ecclesiæ adhibita quam-  
vis omni diligentia, semper præcaveri potest, quip-  
pe cui nec *καὶ διογνώσια* nec infallibile Judicium com-  
petit aut promissum est. Ideoque nec *Formula abso-*  
*lutionis Categorica*, quæ *finem per se respicit, & gratioso DEI*  
*Consilio ac Judicio charitatis conformis* & *verè pœnitentium*  
*consolationi* & *confirmationi destinata est*, propterea cum  
præsentissimo scandalo piorum, in Hypotheticam  
commutanda est. Undè vel ultro sequitur, quod  
nec peculiaris illuminatio Sp. S. qua quis dignos ab  
indignis infallibiliter dignoscere possit, expectanda  
sit. Non enim habemus de speciali illâ illuminatio-  
ne Sp. S. & infallibili pœnitentium ab impœnitenti-  
bus discretionem DEI mandatum aut *promissionem*,  
sine qua tamen aliquid hujusmodi statuere velle,  
ipsissimum *Schwenckfeldianismum* olet. Quod verba  
Christi attinet, quibus Commissioni clavium, dona-  
tionem



tionem Sp. S. præmisit, illa non specialem illumina-  
tionem aut infallibilitatem discretionis, sed ordina-  
riam adfistentiam, & efficaciam Sp. S. Ministris verbi  
promittunt. Aliàs commune foret illud donum  
omnibus ordinariè vocatis, cum omnes eodem  
modo vocati sint. Sin quis *speciale privilegium* jactet,  
necesse est, ut illud etiam *ex speciali concessione* demon-  
strat; secus *Schwenckofeldium* jubebimus ex Ecclesiis  
nostris exesse. Parte autem indè, quod pœnitentiam  
præ se ferentes peccatores ob suspicionem Hy-  
pocriseos non statim rejiciendi aut hypothetica so-  
lum formula suspendendi, sed omninò Categoriè  
absolvendi, & in pace dimittendi sint. Qua de re  
juvat melioris informationis gratia iudicium *B. Bren-  
tij* observare, qui in Comm. super *Exodi* 8. sub finem  
Capitis sic scribit: *Hoc Moysis exemplo admonentur etiam  
Ministri Ecclesie, ut peccatores affirmantes se pœnitentiam  
acturos non temerè à Sacramentis arceant, etiamsi optimè  
sciant, ipsos sæpenumero in peccata relapsos & ex multis con-  
jecturis suspicari queant, non acturos veram pœnitentiam.*  
*Minister enim Ecclesie non est ἀρειδιος πωστης, nec est iudex  
alienæ & occultæ conscientie, sed ut externa ipse administrat,  
ita etiam externâ hominum Confessione contentus esse debet.*  
*Etsi tñim Ministro molestissimum est, Sacramenta porrigere  
huic, qui sæpenumero fictam pœnitentiam professus est, mi-  
nister tamen non est melior Christo Domino suo, qui nec Ju-  
dam, apparentem adhuc coram Apostolis justum & excusan-  
tem sese unâ cum Apostolis de proditione, à Sacramento Cœnæ  
sue rejecit, nec melior est DEO Patre nostro cœlesti, qui si-  
nit solem suum oriri super bonos & malos. Loquor au-  
tem de his non temerè arcendis à Sacramentis, qui*  
*profi-*

*profidentur se pœnitentiam acturos, etiamsi hoc fictè pro-  
fiteantur, hoc enim nihil ad Ministrum Ecclesie, quantum  
quidem ad hoc negotium attinet. Non loquor de his, qui  
in peccatis suis ita manent, ut nec etiam profiteantur se  
pœnitentiam acturos. De his enim Paulus dicit: Cum  
ejusmodi ne cibum quidem capiat. Et Christus:  
Ne detis, inquit, quod sanctum est canibus, nè projeceritis  
margaritas vestras ante porcos. Haftenus B. Bren-  
tius, cui nos per omnia ad-  
stipulamur.*

## SOLI DEO GLORIA.



153 044

ULB Halle 3  
003 484 998




5b

AB 153044

VD 17







48.

v τῷ Θεῷ

INAUGURALIS

De

# SSIONE

## EAM SECUTA

## ESPONSIONE,

*h. 16, 13 - 19.*

*ornata.*

*Quam*

ESIDE

### NADO, S.S. Theol.

nsistorii Ecclesiast. Adessore,

umnorum Ephoro,

*Vittebergensi pro impetrandâ*

*vocant, in S.S. Theologiâ*

### NTIA,

*re defendet*

### OPHORUS NEANDER,


ctus & Ecclesiæ Stargardiensis

nis & Augustini vocatus

astor.

*M. DC. LXII. horis ante- &*

*meridianis.*



EBERGÆ,

/impensis DANIELIS Schmaß/

. DC. LXVII.

